DE JURE
CIRCA
REM MONETARIAM
IN TERRIS
CIRCULI SAXONIAE SUPERIORIS
PRAESERTIM
SAXONICO-ELECTORALIBUS
CONSENSU
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PRAESIDE
D. JO. JACOBO MASCOVIO
D. XIII. APRILIS A. MDCCXXIII.
H. L. Q. C.
DISPUTABIT
AUCTOR ET RESPONDENS
M. GEORGIUS WILHELM. JOECHER.

LIPSIAE,
LITERIS IMMANUELIS TITII.

PERILLUSTRI ATQUE EXCEL-
LENTISSIMO DOMINO

DOMINO
LUDOVICO ALEXANDRO
DE SEEBACH

DYNASTAE GERSTADII
ET UTRIUSQVE FAHNERII
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
POLONIARUM REGI, ET SAXONIAE
ELECTORI A CONSILIIS SANCTIORIBUS
ET MINISTRO STATUS EMI-
NENTISSIMO &c.

PATRONO LITERARUM
MAXIMO

HANC DISSERTATIONEM

PIETATIS ATQUE OBSERVANTIAE

MONUMENTUM

CONSECRAT

ET STUDIA SUA OBSEQVIOSISSIME

COMMENDAT

DEVOTISSIMUS CLIENS

M. GEORGIUS WILHELMUS JOECHER.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

SECTIO PRIMA.

De statibus superioris Saxoniæ, regali cudendæ monetæ jure gaudentibus.

SECTIO II.

De jure circa bonitatem monetæ intrinsecam, modoque imperiali, Zinnensi, & Lipsiensi, utque moneta legitima cudi, & conservari, peregrinæ autem valor æstimari debeat. &c.

rent circa illum circulus Franconius, Suevicus, & Bavaricus? §. XIV. *Ad illa desideria responsio.*

§. XV. *Ut solutio facienda, mutata pecunia? Constitutio electoralis 28. P. II. suspensa per edictum de an. 1623.* §. XVI. *Sed postea restituta.* §. XVII. *Quomodo exsolvendæ pecuniæ ad modum imperii debitæ?* §. XVIII. *De reductione modi Lipsiensis ad Zinnensem.*

§. XIX. *Usuræ sequuntur indolem sortis.*

§. XX. *De solutione cambiali.*

§. XXI. *Quid ratione monetæ minutioris observandum?*

§. XXII. *De officinis monetariis circuli superioris Saxoniæ ordinariis.* §. XXIII. *Extraordinariæ quæ?* §. XXIV. *Officinæ clandestinæ prohibitæ.*

§. XXV. *Cura monetæ, quæ fuerit in terris domus Saxonicæ ante conventus circulares?* §. XXVI. *De conventibus monetalibus in circulo superioris Saxoniæ olim haberi solitis.* §. XXVII. *Ordinationes electorales Saxonicæ circa cudendam monetam.* §. XXVIII. *Itemque probam monetam conservandam.* §. XXIX. *Difficultates circa prohibendam monetam peregrinam.* §. XXX. *In quam nihilominus animadversum est.* §. XXXI. *Præsertim in monetam Gallicam.*

SECTIO III.

De bonitate extrinseca monetæ: ubi de speciebus monetæ, in Saxonia usitatis, earumqre computo: itemque de caractere agitur.

§. I. *In quo consistat extrinseca monetæ bonitas.*

§. II.

SECTIO I.



SECTIO PRIMA.

De statibus superioris Saxoniæ, regali cudendæ monetæ jure gaudentibus.

§. I.

NOndum ea Germaniæ, quæ est aliorum aliquot regnorum felicitas, quamvis tot legibus & consiliis quæsita, obtigit, ut eadem monetæ per omnes ejus provincias ratio obtineat. Non inde in commerciis modo ingens molestia, sed ipsis statibus, quibus hæc politiæ pars cordi est, æterna & inexhausta legum edictorumque materies, & difficiles in tribunalibus controversiæ oriuntur. Itaque argumentum, quod alii quondam ad solos zygostatas, & argentarios pertinere rati sunt, ad academicam disquisitionem revocavimus. Nihil autem in commune de *Ratio instituti explicatur.*

re pecuniaria Germanorum ſtatui poteſt, niſi inſtituta circulorum noveris. Itaque in ſpecie verſabimur, circa ſtatum monetæ in ſuperioris Saxoniæ circulo: cujus inſtituta & propius nos tangunt, & partim defendi adverſus immeritam aliorum cenſuram, partim in exemplum proponi de inſtauranda moneta deliberantibus merentur. Ex quo denique in circulo hoc & conventus ceſſant, & ſtatus ſibi ſeorſim conſulere cœperunt, quid in electoratu Saxoniæ præcipue obtineat, perſequemur. Cum vero juris vocabulum, & facultatem moralem aliquid faciendi, aut omittendi, & normam actionum denotet, primum recenſebimus circuli ſtatus, quibus monetæ cudendæ facultas eſt: deinde leges, quibus omne monetæ cudendæ negotium regitur. Et cum pro diverſis monetæ ſpeciebus, diverſa legis ſit diſpoſitio, recenſionem earum adjiciemus. Quod argumentnm ſi non exhauſerimus, certe in ordinem aliquem redegiſſe præcipua ejus capita, facile jam novis obſervationibus augenda operæ pretium erit.

§. II.

Origo juris monetæ ab Imperatore.

Ubi itaque primum agendum eſt de jure monetæ, eo ſenſu, quo facultatem cudendi monetam denotat: recenſendi fuerunt ſtatus immediati & mediati, qui in circulo ſuperioris Saxoniæ jure illo regali gaudent. Quod citra ordinis præjudicium fecimus. Sed multa huc ſpectantia in archivis latent. Nonnulla, quod controverſa eſſent, ſtudio prætermiſimus. Si quæ vero ſupplementa communicata abhinc nobiſcum fuerint, alia forte occaſione utendi locus erit. Ante omnia expediendum eſt, unde jus monetæ imperii ſtatibus competat. Sunt qui exiſtiment, jure proprio ſtatus illud habere, tanquam partem ſuperioritatis territorialis. Sed nobis verior

rior videtur ſententia a conceſſione Imperatorum derivantium, quam ILL. DN. A BUNAU prolixius aſſeruit. (a) Neque in Saxonia olim dubitatum de jure Cæſaris, teſtatur ſpeculum juris Saxonici: (b) Exſtant antiquiſſima privilegia, quibus imperatores ſtatibus illud jus conceſſerunt: ac multos ſtatus immediatos conſtat eſſe, qui jus monetæ non habeant, & multos e contrario mediatos, qui habeant.

(a) In Diſſertatione de jure circa rem monetariam in Germania.

(b) Vid. Land=Recht L. II. art. 26. add. Schwabenſpiegel l. 1: art. XII. Wir ſprechen, daß alle Müntzen, die im Römiſchen Reich ſeynd, die ſeynd eines Römiſchen Königs. Und wer ſie haben will, er ſey Pfaff oder Ley, der muß ſie haben von dem Römiſchen Reich, und von dem Römiſchen König, und wer dieß nicht thut, der frevelt an dem Römiſchen Reich.

§. III.

Quid imperator circa conceſſionem privilegii monetalis obſervet?

Cum vero intereſſet reipublicæ, ne promiſcue inſtituerentur officinæ, nec nimis liberales eſſent Imperatores in conceſſionibus, jam dudum modus aliquis poni cœpit. Ita Rudolphus I. in comitiis Vurtzburgenſibus omnes officinas monetæ, a Friderici II. tempore introductas, niſi legitimus titulus edi poſſet, aboleri juſſit. (a) Quæ poſtea limitationes additæ fuerint, ad jus imperiale concedendi privilegii monetalis, ex capitulatione noviſſima apparet, (b) hujus autem loci non eſt enarrare.

(a) Vid. LEHMANNI Chr. Spir. L. V. Cap. 108.

(b) Artic. VI.

§. IV.

Recenſio ſtatuum, jure monetæ gaudentium: I. Domus Saxonica: jus ejus

Sereniſſima Domus Saxonica cum veterum Saxoniæ ducum, electorumque, tum landgraviorum Thuringiæ, & marchionum Miſniæ jura cumulata habet. De antiquorum ducum jure diplomata, & antiquiores iis monetæ ipſæ loquuntur.

ratione electoratus.

tur. Ita Henrici Leonis aliquot nummos bracteatos exhibet CL. OLEARIUS. (a) Bernardi, qui primus e gente Ascania ducatum Saxoniæ obtinuit, nummum memorat SCHLEGELIUS. (b) Accessit aureæ bullæ auctoritas, qua omnibus Electoribus monetæ jus solenniter confirmatur. Præterea Sigismundus Rudolpho IV. Electori Saxoniæ an. 1415. (c) jus aureæ monetæ peculiari diplomate denuo concessit.

(a) In Spicilegio antiquitatis secundo.
(b) Quales & videri possunt apud BECMANNUM Anhalt. Hist. T. IV. Cap. 7. tab. 1.
(c) Vid. MULLERI Annal. Sax. ad h. a. p. 8.

§. V.

Itemque ratione landgraviatus Thuringiæ, & marchionatus Misniæ. Sæpius deinde renovatum.

Landgraviorum Thuringiæ, itemque marchionum Misniæ nummi bracteati magno numero supersunt. (a) De Misniæ marchionibus superest præterea diploma, quo Carolus IV. a. 1355. jus cudendi denarios ipsis concessit. (b) Hæc itaque conjuncta fuerunt in serenissima domo regnante, & variis privilegiis subinde renovata, & aucta sunt. Ita e. g. Fridericus placidus a. 1454. d. 12. Nov. ab imperatore Friderico III. jus aureæ monetæ accepit. (c) Ne quid de novioribus investituris dicamus.

(a) Seriem landgraviorum ex nummis passim illustravit CHR. SCHLEGELIUS. Inprimis vero in dissertatione de nummis Isenacensibus: de bracteatis marchionum Misniæ in diss. de vetere Cella, & alibi passim egit. Seriem vero marchionum a Conrado, usque ad Ernestum & Albertum, ex museo Haugwitztiano, a se delineatam, servari una cum illo testatur in aula Vinariensi.
(b) Vid. IDEM de nummis Saalfed. C. 3.
(c) MULLERI Ann. ad h. a.

§. VI.

Jus monetæ a ducibus Saxoniæ

Jus hoc regale sæpe conjunctim exercuerunt, duces Saxoniæ. Ita e. g. Friderico placido & Vilhelmo communis offici-

ficina erat Freiberga, (a) & grossos habemus, in quibus utriusque nominis literæ initiales exstant. Ita Ernestus & Albertus, cum patruo Vilhelmo, communi nomine monetam ibidem cudi jusserunt, dum mater ipsorum, Margaretha, Coldizii officinam haberet. (b) Ita A. 1500. Ernesti filii, Fridericus sapiens elector, & Johannes fratres, ac Alberti ducis mandato Georgius, & sequentes etiam principes communem exercuerunt officinam, unde tot reperiuntur unciales, qui Saxoniæ principum, utriusque gentis, quorum auspiciis cusi sunt, vultus referunt. De ordine vero in collocandis imaginibus, titulisque observato testantur, quæ infra subjicimus. (c)

xoniæ sæpe conjunctim exercitum.

(a) Conf. SCHLEGELIUS de num. Goth. p. 89.

(b) V. literas Ernesti electoris, datas Torgaviæ 1438. & alia acta publica edita ab Ill. Dn. a BUNAU l. c. p. 104. seq.

(c) In relatione legatorum Friderici & Johannis, qui cum Georgii consiliariis de re monetali communicaverant, data Leutemberg, Dienstag nach exaltationis crucis A. 1507. sequentia leguntur: Friedrich Thün, und ich, (der Graf) haben den Hertzog Georgischen Räthen zu erkennen gegeben, daß in vorigen zusammenkünfften der Räthe, gehandelt, und nothdürfftiglich angezeiget seye, wie es die Fürsten zu Sachsen zuförderst mit der Würde des Churfürstenthums, und nachfolgend mit den Ständen, (d. i. *Sessionen*) der Fürsten zu Sachsen, &c. Nach dem Alter gehalten, welches auch bey jetziger Ew. aller Gnaden also geübt und gebraucht. Warum aber die Stämpel ohne Ew. Fürstl. Gnaden willen geändert, und Ew. Fürstl. Gnaden, (Gnädiger Herr, Hertzog Johannes) welche doch älter den mein Gnädiger Herr, Hertzog Georg, auf die Müntze zu hinderst gestellet, habe man bißher nicht erfahren mügen; aber sey dazumahl geantwortet: Es solte deshalb keine Beschwerung haben, uñ sey ohne zweiffel ohngefährlich geschehen. Nun begehrten wir nachmahls zu wissen die Ursach solcher verachtung.

Die Hertzog Georgischen Räthe haben geantwortet, daß sie dafür achteten, ihr Herr habe dessen kein wissen, und ohne zweiffel die veränderung, sonder sein Fürstl. Gn. Befehl, ergangen, sie wolten aber S. F. Gn. solches zu erkennen geben, und zweifelten nicht, es werde des Stücks halben kein gebrechen haben: in der Grundveste Fürstl. Sächsischer Weymarischer præcedenz P. II. p. 17.

§. VII.

Tandem divisum.

Ex quo metallifodinæ Misnicæ soli genti Albertinæ relictæ, separatas plane monetas habuit utraque gens. In Electorali, Christianus II, fratrum, & Jo. Georgius I, fratris Augusti, imagines, titulosque in moneta retinuit. In Ernestinæ quoque domus familiis regnantibus aliquandiu commune mansit, ut tot floreni aurei, & unciales argentei testantur, donec vel introducto jure primogenituræ, vel aliis ex causis res mutaretur.

§. VIII.

II. Rex Prussiæ, ratione electoratus Brandenburgici.

In electorali Marchia Brandenburgica antiquissimum itidem juris exercitium deprehendimus, cujus documenta hic conquirere opus non est: cum malimus expectare quæ virum doctum Berolini de Brandenburgicis monetis meditari audivimus. Quæ vero infra de modo Zinnensi, & Lipsiensi afferimus, quod potentissimorum Principum conservandæ probæ monetæ studium fuerit, satis testantur.

§. IX.

III. Duces Pomeraniæ.

Neque de Pomeraniæ ducum jure dubitatum est. Qualem Boguslaus a. 1492. monetæ rationem constituerit, rerum Pomeranicarum auctores describunt. (a) Franciscus Julius in controversia, quam cum circulo habuit, ob institutam Frantzhagii officinam, provocavit ad singulare privilegium, mo-

monetam æream cudendi. (b) Hodie ſtatus monetarius Pomeraniæ ex parte continetur Brandenburgico, Sereniſſimi Pruſſiæ Regis jure. Ex parte corona Suecica veterem formulam ſuſtinet.

(a) RANGO in Pomeran. Dipl. p. 329.
(b) V. edict. circuli ſup. Sax. de a. 1607.

§. X.

De Anhaltina moneta diligenter egit BECMANNUS in præſtantiſſimo hiſtoriæ Anhaltinæ opere; (a) qui inter alia annotavit, in omnibus inveſtituris, quæ a Ludovici Bavari tempore exſtant, regale monetæ contineri: Maximilianum etiam 1503. jus cudendi florenos aureos, ad modum ab electoribus Rhenanis obſervatum, addidiſſe. Videas apud eundem bracteatos Anhaltinos, itemque monetam communibus ſereniſſimæ domus auſpiciis cuſam, (b) in qua frequenter imperii inſignia, aut nomina imperatorum exhibentur, & nummos ſingularum quoque gentium Anhaltinarum, ab initio ſeculi XVII, quo ſeparatim hoc jure uti cœperunt. Cæterum communi officina utuntur, quæ olim Serveſtæ fuit, nunc Deſſaviæ eſt. Hazgerodæ quoque denuo inſtituta eſt officina, ex quo metallifodinæ illius loci iterum excoli cœperunt. Ipſum vero jus officinæ ſingularis a circuli ſtatibus aliquando in dubium vocatum eſſe, Anhaltinos autem & diuturnam poſſeſſionem, & metallifodinæ Hazgerodenſis jura allegaſſe, conſtat. Quam frequentes aliquando clandeſtinæ officinæ in iſtis ditionibus fuerint, idem BECMANNUS annotavit. *IV. Domus Anhaltina.*

(a) T. IV. C. 7.
(b) Cujus diverſas ſpecies usque ad a. 1686. recenſet.

§. XI.

Ad rem monetariam principum, comitumque per *V. Domus*

Thu-

Schwartzburgica

Thuringiam illustrandam, multum inprimis faciunt SCHLEGELII scripta. Ita Schwartzburgicæ domus nummos bracteatos passim explicat, & privilegii ab Imperatore Friderico III. a. 1442. concessi, meminit. (a) Cum Wilhelmus III. Saxoniæ dux, novam edidisset ordinationem monetariam, misit eam ad Henricum comitem de Schwartzburg, ut & ipse eandem observari curaret. (b)

(a) In epist. de nummo Com. Blanckenb. c. a.
(b) MULL. Annal. ad a. 1475.

§. XII.

VI. Item Mansfeldica.

Mansfeldiæ comites antiquissimis temporibus exercuisse jus monetæ, testantur nummi illorum bracteati, quorum aliquot itidem exhibet SCHLEGELIUS. (a) Accessit Maximiliani I. privilegium anno 1518. (b) Jam a. 1515. peculiarem ordinationem monetariam sancivisse illos legimus. (c) Sed postea cum ducibus Saxoniæ convenit, de modo & forma Saxonicæ monetæ observanda, quod Maximilianus confirmavit. (d) Quas vero turbas concitaverint, cum privatam Heckstadii ad Wipperam officinam erexissent, utque tum a circulo omni juris sui exercitio interdictum ipsis fuerit, in annalibus Saxonicis MULLERI legitur. (e) Qui & conventionem domus Saxonicæ, cum comitibus Mansfeldiæ, de iure in metallifodinas, quæ uberes sunt in illa ditione, an. 1484. initam annotavit.

(a) In epist. de nummo comitis Blanckenb. A. 3.
(b) V. LUNIGII Reichs-Archiv P. Spec. p. 118.
(c) V. ALBINI Meißnische Berg-Chronica Tit. XIII. p. 586.
(d) Vid. LUNIG. l. c.
(e) ad a. 1579.

§. XIII.

VII. Comites Stolbergæ.

Stolbergæ comitibus eo magis commodum est mone-

ne-

netæ jus, quoniam opimis metallifodinis instructæ illorum ditiones. Comites Hatzfeldiæ & Gleichæ, jus aureæ & argenteæ monetæ a Ferdinando III. impetrarunt a. 1654. (a) Quod D. Leopoldus confirmavit. (b)

VIII. Hatzfeldiæ & Gleichæ.

(a) Vid. Reichs-Archiv. Spic. Secul. T. II. p. 1934.
(b) Vid. ibid. p. 1935.

§. XIV.

Comites Rutheni in Varifcia plura habent Imperatorum de moneta & metallifodinis privilegia. Itaque jus regale monetæ aureæ atque argenteæ illis competens, ea conditione in comitiis circuli a. 1615. agnitum legimus, si privilegia producerent, (a) & ad legum imperii præscriptum in officina Salfeldensi, monetam cudi curarent. (b)

IX. Comites Rutheni.

(a) Privilegia Frid. II. Ludovici Bavari, Caroli IV, Friderici III. Maximiliani I, Caroli IV, & sequ. aliquot Imperatorum im Reichs-Archiv. P. Spec. Cont. II.
(b) MULLER. Annal. ad h. a.

§. XV.

Sed & alii olim in his regionibus proceres fuerunt, quorum nummi superstites sunt. Ut jam de comitibus Barbiensibus nihil dicamus, veterum Wernigerodæ comitum nummum sistit SCHLEGELIUS. (a) Idem & veterum comitum palatinorum Saxoniæ, Kevernburgensium, Arnshaugæ & Orlamundæ comitum, itemque Lobdeburgensium monetas bracteatas, quæ passim curiose asservantur, illustravit. (b)

De aliis comitum & dynastarum familiis, quæ jus monetæ habuerunt.

(a) De numm. Salf. L. 2.
(b) In epist. ad Joh. Andr. Schmidium de nummo comitis Blanckenburgensis.

§. XVI.

Ex statibus ecclesiasticis superest abbatissa Quedlingburgen-

Ex statibus ecclesiasticis:

X. Abbatissa Quedlingburgensis. gensis: quam jure monetæ a conditore cœnobii Henrico I. rege donatam, tradit vetus auctor fundationum monasteriorum quorundam, a MADERO editus. (a) Jactat eadem privilegium monetale Ottonis III. a. 993. datum, (b) idque regale in Caroli IV. & reliquorum Imperatorum investituris confirmatur. (c) Antiquissimum juris exercitium tot ostendunt vetustissimi nummi bracteati, (d) manseruntque in ejus usu abbatissæ, atque ita etiam conventibus explorandæ monetæ circularibus interfuerunt. (e)

(a) p. 288. Quedlingburgensi abbatiæ contulit Heinricus decem & octo millia mansa, & thesaurum pergrandem, advocatiam, & MONETAM, telonium & militiam.
(b) Reichs-Archiv Spic. Eccl. T. II. p. 190.
(c) Quæ v. ibid. T. III. p. 432. sequ. add. Innocentii III. bullam, quæ huic abbatiæ jus monetæ confirmat. ibid. p. 127.
(d) Vid. OLEARIUS in anastasi Agnetis abbatissæ Quedlingburgensis & LEUCKFELDIUS in antiq. nummariis Quedlinburgens.
(e) Exempla v. in MULL. Annal. Sax. ad a. 1628. &c.

§. XVII.

Olim & alii ecclesiastici jus monetæ habuerunt. Sed & aliorum, qui in Saxonia superiori floruerunt, præsulum partim monetæ, partim privilegia supersunt. Ecclesiæ Misnensi privilegium dedit Fridericus II. Imperator an. 1231, ut si auri argentive minera in ditione ejus reperiatur, monetam inde conficiendi jus sit episcopo. (a) Quæ autem relatio, episcoporum ad duces Saxoniæ ratione monetæ fuerit, patet ex literis Ernesti electoris Saxoniæ ad Ditricum, episcopum Misnensem an. 1438. datis. (b) Martisburgensibus episcopis, Henricum II. episcopatus instauratorem, jus vectigalium, & monetæ dedisse an. 1004. BROTUFFIUS refert, (c) & duos denarios veterum episcoporum profert SCHLEGELIUS. (d) Bracteatos Numburgensium episcoporum

rum illustravit JO. ANDR. SCHMIDIUS.(e) Tancvardo episcopo Brandenburgensi Henricus IV. privilegium monetæ dedit. (f) Similiter olim abbas Salfeldiæ, & abbas Nienburgensis in Anhaltino principatu, aliique plures præsules, & abbatissæ hoc jus exercuerunt.

(a) Dn. LUNIG in append. ad Spicil. eccl. p. 98.
(b) Quas ed. ILL. DN. a BUNAU p. 134.
(c) Et quidem Walhusii IV. non Martii vid. BROTUFFIUS Chr. Martisb. L. II. C. 6.
(d) De num. Goth. &c. C. V. quod est de nummis Merseburg. p. 200.
(e) V. Ei: nummi bracteati Numburgo-Cizenses, Pegaviensesque &c.
(f) V. Reichs-Archiv in app. Spic. ecc. Cont. III. p. 3.

§. XVIII.

Ex civitatibus XI. Mulhusa & XII. Northusa.

Civitates imperiales Mulhusa & Northusa adhuc eo jure gaudent. Rem numismaticam Mulhusinæ civitatis SCHLEGELIUS illustravit, (a) qui vetustissimos ejus bracteatos, & imprimis elegantem denarium Friderici I. Imperatoris imagine signatum (b) sistit: Jus illud regale Carolus IV, Venceslaus, Maximilianus I, Carolus V item, aliique Imperatores, una cum reliquis privilegiis confirmarunt. (c) Idem SCHLEGELIUS & de Nordhusanis, tam abbatissarum cœnobii, quod olim Nordhusæ floruit, quam ipsius civitatis nummis egit: (d) cui jus illud in privilegiis Rudolphi I, Caroli IV, & Maximiliani I. confirmatum legitur. (e)

(a) In Tr. de nummis antiquis Isenacensibus, Mulhusinis, Northusinis & Weissenseensibus c. 2.
(b) l. c. §. 7. p. 134.
(c) Vid. Reichs-Archiv P. Spec. Cont. IV. Tom. I. p. 1426. & 1432.
(d) l. c. cap. 3.
(e) V. Reichs-Archiv P. Spec. Cont. IV. T. II. p. 66. & 73.

§. XIX.

Aliæ civitates superioris Sa.

Præterea multæ sunt per Thuringiam & Misniam civitates,

xoniæ, quæ jus monetæ olim exercuerunt, imprimis per Thuringiam.

tates, quæ olim hoc jure gavisæ sunt, quo aut exciderunt postea, aut certe non utuntur. Partim quod civitates imperii fuerint, partim quod a principibus privilegia obtinuerint, aut a monasteriis acquisiverint. Antiquis enim temporibus, liberales maxime erant Imperatores in concedendo hoc regali, & principes, urbibus fere, quæ mercaturæ caussa omnium maxime pecunia signata opus habebant, lubenter relinquebant monetam, quod nulla inde aut certe exigua emolumenta redirent. Ne quid de Stralsunda, Sedino, aliisve extra Thuringiam & Misniam urbibus dicam; frequens mentio in antiquis tabulis pecuniæ Erfurtensis. Quæ civitas, duplici titulo (a) nitebatur, cujus editionem postea sec. XVI. in comitiis circuli status postularunt. (b) Ab eo quoque tempore varia oborta sunt, quæ hic prosequi non opus est. Salfeldiæ abbates primum jus regale monetæ habuerunt, deinde senatus oppidi, donec ad se revocarent duces Saxoniæ: ut ex instituto ostendit SCHLEGELIUS. Qui Weissenseam, itemque Jenam, ex concessione landgraviorum, Gotham quoque, Vinariam, & Isenacum, itemque Arnstadiam propriam monetam aliquando habuisse prolixe probat. Ad illum adeo veterum denariorum studiosum lectorem remittimus.

(a) Caroli IV. Lehnbrieff über das Hauß Cappelndorff, die Müntze und den Wochen-Marckt &c. V. Reichs-Archiv P. Spec. Contin. IV. Tom. II. p. 445. item Kauff-Brieff, Krafft dessen Ertz-Bischoff Gerlach zu Mayntz dem Magistrat zu Erfurth die Müntze, das Eysen, und Schlägeschatz daselbst um 3000. Marck Löthiges Silbers wiederkäuffl. überlassen (a. 1354.) v. ibid. p. 447. add. diploma Adolphi II. de a. 1468. ibid. p. 468.

(b) MULL. Annal. Sax. ad an. 1623. & 1624.

(c) Vid. idem ad an. 1629. idem ad an. 1656.

§. XX.

§. XX:

Inter Misnicas urbes Lipsia a Theodorico Marchione Landsbergensi a. 1273. privilegium cudendæ monetæ obtinuit: vel ideo memorabile, quod dubitent, viri docti, utrum municipia unquam alio, quam pignoris, aut locationis titulo monetam habuerint. (a) De Cygneis denariis diligenter egit Schlegelius (b) itemque de moneta Altenburgica, (c) ubi officina fuerit, quamdiu urbs imperialis esset: quam & retinuerit, a Friderico II. imperatore, Heinrico illustri, marchioni Misniæ oppignorata. (d) In vicino Tauchæ oppido adhuc superest domus, quæ moneta in ipsis catastris appellantur. *Et Misniam.*

(a) Reichs-Archiv P. Spec. T. IV. p. 592.
(b) in Tr. de nummis Gothanis, Cygneis C. 2.
(c) In epist. de nummis Altenburgensibus.
(d) Conf. idem in Tr. de nummis Goth. p. 2. 3. & sequ.

SECTIO II.

De jure circa bonitatem monetæ intrinsecam, modoque imperiali, Zinnensi, & Lipsiensi, utque moneta legitima cudi & conservari, peregrinæ autem valor æstimari debeat.

§. I.

IN altera hac sectione primum de legibus cum universalibus imperii, tum particularibus Saxoniæ, quibus res monetalis ordinatur, acturi, consulto præterimus leges constitutione Ferdinandi I. de an. 1559. antiquiores. Hæc enim fundamenti instar est in jure monetæ, variisque edictis a. 1566. 1570. 1571. 1576. 1594. aliisque plurimis confirmata fuit. (a) Et illa quidem in hoc circulo tam sancte fuerunt observata, ut aliis subinde in exemplum, quod imitarentur, *De legibus monetalibus imperii.*

proponeretur. (b) In comitiis adhuc durantibus a. 1667. de re monetali, per totum imperium ad legum publicarum præscriptum instauranda, deliberari cœpit. (c) D. etiam Leopoldus an. 1676. novum edictum eandem in rem emisit, (d) & post varias consultationes, (e) quibus inprimis de æqualitate per universum imperium introducenda actum fuit, an. 1680. d. 26. Novembris denuo repetiit, ac præcipue officinas clandestinas acriter prohibuit. Redierunt deinde ad eadem consilia an. 1688. (f) renovataque an. 1689. d. 21. Octobris ab imperatore priora edicta, (g) & decreta an. 1690. commissio inquirendi per omnes imperii circulos, in officinarum clandestinarum abusus: (h) Quin & postea continuata hæc sunt. (i) Sed hujus loci historiam consultationum imperialium texere non est.

(a) Vid. LUNIGS Reichs-Archiv P. Gen. T. I. p. 334. sequ.
(b) CRULLIUS de reg. mon. jure c. 7.
(c) Vid. Reichs-Gutachten in puncto des Müntzwesens d. $\frac{1}{2}\frac{6}{9}$ Apr. 1667. it. Kayserl. Resolution auf sothanes Reichs-Gutachten d. 5. Sept. 1667. adde Reichs-Gutachten de hac materia de a. 1677. ib. p. 381 & de an. 1678. ib. (d) Ibid. p. 380.
(e) Item Reichs-Gutachten de an. 1677. ib. p. 381. & de an. 1678. ib. p. 381. it. Reichs-Gutachten de an. 1680 d. 20. Mart.
(f) vid. Reichs-Gutachten, die wiedervorzunehmende deliberationes, wegen des Müntzwesens betreffend.
(g) Part. General. p. 390.
(h) v. Kayserl. Patent, die in puncto des Müntzwesens angeordnete Kayserl. inquisitions-commission betreffend. ibid. p. 392.
(i) v. Kayserl. Commissions-decret, die Untersuchung der Müntz-Gebrechen, Handhabung der alten Müntzordnungen, und Bestraffung derer Contravenienten betreffend. d. a. 1692. 15. Maji. ibid. Cont. II. Part. Gen. p. 667.

§. II.

Et Saxonicis in specie.

Multa enim ut in reliquis, ita & hoc nostro circulo statu-

tuta ſunt quibus imperialium edictorum auctoritas ſuſtineatur ſuppleaturve: ne quid dicamus de antiquiori conſvetudine, cujus paſſim in ſpeculo Saxonico indicia exſtant. Et decretorum quidem hujus circuli mentionem paſſim faciemus. E ſpecialibus vero ſtatuum legibus, ſolas Saxonicas, præcipue electorales, ante oculos habebimus. Quarum tantus eſt numerus, ut omnes hic recenſeri nequeant. Vidimus enim XIII. volumina legum de re monetali, ab an. 1495. ad noſtra tempora collectarum: nec illa forte omnia complectebantur. Diſtribui vero ordinis cauſa commode in certas claſſes poſſunt: ut I. complectatur ordinationes monetales domus Saxonicæ, ante edictum imperiale de an. 1559. factas: quæ quidem illuſtrationi argumenti noſtri, & hiſtoriæ magis ſerviunt, quam vim obligandi habent. II. Eas, quæ de obſervatione hujus edicti deinde editæ ſunt, usque ad fatalem omnis pecuniæ confuſionem a. 1620. III. Edicta ab a. 1623. quo reſtituta fuit priſca monetæ ratio, usque ad introductionem modi Zinnenſis. IV. Ab illo tempore, usque ad modi Lipſienſis receptionem publicata: in qua claſſe eminet edictum de an. 1684. (a) & 1688. (b) V. Quæ a tempore conditi modi Lipſienſis ad hæc usque tempora prodierunt: Inter quæ præcipue obſervari merentur edicta de 11. Apr. 1708. 12. Sept. & 22. Novembr. 1709. 6. Dec. 1710: quæque infra alia ſuo loco recenſebimus.

(a) De dato Torgau 8 Dec. cui adjungitur Abdruck und Verzeichnüß derer Münz-Sorten, welche vermöge Churfürſtl. Sächſ. gnädigſten Mandats de dato Torgau d. 8. Dec. a. c. theils vor voll, theils um ein gewiſſes, wie einer jeden Sorte beygeſetzt, vorjetzo im Handel und Wandel angenommen werden ſollen.

(b) Churfürſtl. Sächſ. verneuertes Münz-Mandat de dato d. 22. Aug. 1688.

§. III.

§. III.

In quo consistat bonitas pecuniæ.

Ut moneta ſit legitima, attendi debet, ad bonitatem ejus intrinſecam, & extrinſecam: Circa valorem internum reſpiciendum ad pretium, ſeu nucleum metalli, in ſumma puritate conſiſtentis, (germanice **Korn**) & pondus monetæ. Metallo nobiliori accedit plerumque portio æris (*Germ.* **Schrott**) atque illa commixtio ligatura, proprio artis vocabulo appellatur. Ita intelligi debet, quod in nummis paſſim laudari videmus, cuſos eſſe **nach dem alten Schrott und Korn.** Illa vero metallorum proportio, & ponderis in moneta ratio, vocatur modus pecuniæ. (**Fuß**) Valor extrinſecus eſt, quem pecunia in uſu vitæ habet, isque varius eſſe ſolet, & cupreus ſæpe nummus, in obſidione, aliisve anguſtiis, aureum valuit. Multum autem intereſt reipublicæ, ne valor extrinſecus, multum ſupra intrinſecum pretium aſcendat. Cum enim aurum argentumque ideo ſignari cœperit, quod reliquarum rerum pretium eminenter contineat, & ubique locorum, etiamſi vel conflaveris, domino eodem fere, quo acceperat, pretio ſervire poſſit; iniquum admodum, ſi qui vendito forte pro tali pecunia prædio, divitem ſe crediderat, ubi reducitur moneta, unico edicto magna ſe parte ſummæ mulctari videat.

§. IV.

Modus pecuniæ imperialis. (Reichs-Fuß) in Saxonia obſervatus.

Imperii modus vel auream, vel argenteam monetam concernit. Et cum varia in re monetali uſitata ſint pondera, (a) ut Trecenſe, Mediolanenſe, Auguſtanum, Noribergenſe &c. imperium Germanicum Colonienſe, in edicto monetali de an. 1559. ſequitur. Jam quoad florenos aureos (**Goldgülden**) diſpoſitum eſt in edicto Ferdinandi I. ut ex marca Colonienſi 72. aurei conficiantur: & contineant 18. Karath (*12. lot.*) & *6.* grana:

na (b) valor extrinſecus ad 75. crucig: (c) Ducati, ſeu aurei Hungarici, quoad pretium intrinſecum debent continere auri puri 23. Karath. 8. grana: Quoad pondus, 67 pendere debent marcam: quoad valorem extrinſecum, valere 104. crucigeris. (d) In aula imperiali, & camera, mulctæ ſolent irrogari ad marcam auri: quam ad 72. aureos Rhenanos, aut 67 Ungaricos computari, cum auctoritatibus confirmat CRULLIUS. (e) Ex marca autem argenti octo nummi imperiales cudi; argenti autem puri 14. *lot.* 4 *grana* continere debent. Huic tamen legi monetali imperator Ferdinandus ratione Auſtricarum, domus Saxonica, & Archiepiſcopus Salisburgenſis itidem ratione ſuarum metallifodinarum, nonniſi cum proteſtatione acceſſerunt. (f) Imperatoribus tamen IV grana remiſſa ſunt. (g) Domus Saxonica denique poſthabito privato commodo paruit legibus imperii, atque ad illarum rationem monetam ſuam cudi juſſit. (h) Et Archiepiſcopus Salisburgenſis adhuc hodie receſſibus conventuum monetalium, nonniſi cum proteſtatione ſolet ſubſcribere. (i)

(a) Libra continet duas marcas
marca - 8. uncias.
uncia - 2. lotones.
loto - 4. drachmas (Qventlein)
vel 18. ſiliquas (*green.*)
drachma - 3. ſcrupulos, ſeu 4. denarios. Conf. GE. AGRICOLA de ponderibus & menſuris &c.

(b) §. 64. daß zwey u. siebentzig Stück schön ausbereit ein Cölnisch Marck wegen, und an feinen halten 18. Karat, 6. Gren, d. i. 12. Loth: 6. Gren.

(c) §. 66. 67.

(d) ibid. §. 68: Daß sie sieben und sechzig schön ausbereitete Stück ein Cölnisch Marck wiegen, und lauter fein 23. Karat, 8. Gren halten: und . . . höher nicht denn um hundert und vier creutzer genommen und ausgegeben werden sollen.

C (e) Apud

(e) Apud THOMANUM Part. I. p. 141.
(f) Conf. ZACHARIÆ GEITZKOFLER ausführliches Bedencken in THOMANI actis P. III. p. 88.
(g) EUROP. HEROLD T. I. p. 957.
(h) v. Edict. Elect. de an. 1607. it. de an. 1623.
(i) Exempl. v. in Dn. a SCHEIDLIN. tr. de conventibus monetalibus.

§. V.

Monetæ depravatio: fraudes æruscatorum (Kipper und Wipper.)

Sed nihilominus negligebantur illæ leges ut in aliis Germaniæ, ita & in Saxoniæ superioris provinciis, unde gravis Germaniæ calamitas incubuit. Et in circulo quidem superioris Saxoniæ ab an. inprimis 1619. in dies magis diminuebatur, puritasque argenti addita viliori metallo adeo diluebatur, ut pretium legitimi thaleri ultra 10. florenos ascenderet. Adeo tum Germania sibimet ipsi concitavit illa mala, quæ Gallia ab aliquo tempore per toties repetitas monetæ diminutiones sensit. Neque hodie fere sine indignatione meminit tyrannidis æruscatorum illorum, (quos germanice die Kipper und Wipper vocant) quam nequicquam variis scriptis tum exagitatam videmus. (a) Impulit illa calamitas publica, serenissimum Saxoniæ electorem, cum se solum torrenti male resistere, monetamque suam subito conflari, & viliorem inde cudi videret, ut & ipse necessitati aliquamdiu cederet. Sed ita cessit, ut cupido pristinas leges quam primum instaurandi ubique eluceret. (b)

(a) V. Schaubühne ad an. 1622.
(b) Conf. Churfürstl. Sächs. Müntz-Edict de a. 1623. d. 31. Jul. a verbis: Da wir aber letzlich befunden.

§. VI.

Restituta pecunia ad le-

Quo latius diffuderat sese malum, eo magis laudanda est

est statuum æquitas, qui ex immensa confusione revocare monetam potuerunt, egregio exemplo, & quod nunquam sinet monetæ abusus, omni remedio majores existimari. Cum enim passim per Germaniam status incommodis istis affecti, commercia cessare, & rerum pretia, quo levior pecunia obtineret, eo altius intendi viderent, ideoque redire in ordinem cuperent, hujus quoque circuli proceres obviam iverunt malo, & inprimis elector Johannes Georgius I. an. 1623. d. 31. Jul. nova lege, monetam ad edicti imperialis de an. 1559. observantiam reduci jussit. (a) Electoris Brandenburgici, itemque alia cum Saxoniæ, tum aliorum imperii statuum, hanc in rem edicta, passim exstant in THOMANI actis monetalibus.

gum imperii præscriptum.

(a) Daß sich nunmehr, und hinführo, von dieser publication an, männiglich in unsern Landen so wohl auswärtige, die sich des Handels und Wandels bey uns gebrauchen, als Einheimisch, nach vorangezogener, von Kayser Ferdinando dem ersten, und den Ständen des Reichs a. 1559. zu Augspurg aufgerichteten Müntz-ordnung, mit allen derselben Clausulen, und Inhaltungen richten 2c. Conf. THOMANI act. monet. P. II. p. 239.

§. VII.

Introductio modi Zinnensis in electoratu Saxonico & Brandenburgico.

Equidem in comitiis adhuc durantibus fervere cœperat an. 1667. negotium monetale, ut §. II. attingimus. Sed optati exitus tenuis admodum spes erat; & in conventibus circuli ejusdem anni, cum de medela abusuum monetæ non conveniret, placuerat, ut status singuli, in territoriis suis, monetæ curam, donec commune imperii decretum publicaretur, gererent. Itaque serenissimi electores Saxoniæ, & Brandenburgicus, communicatis in monasterio Zinnæ, prope Juterbocam, per legatos consiliis, de ratione ordinandi tantisper monetam, peculiarem

liarem in modum consenserunt. Quod pactum ipsum hic subjicimus. (a)

(a) Vid. Reichs-Archiv Part. Specialis part. 2. p. 200. Zwischen beyderseits Churfl. Durchl. zu Sachsen und Brandenburg, ist bey jeziger Anwesenheit abgeredet, und beschlossen worden. Nachdem beym hochangestiegenen Silber-Kauff, und des also genannten rohen, unmöglich fallen will, die Schiede-Müntze nach der Reichs-Valvation de an. 1559. zubeschicken, unterdessen aus benachbahrten Landen, Böhmen, Schlesien und Polen viele untüchtige Müntze in ihrer Churfürstl. Durchlauchten Lande tringet, das, wegen Conformität in der Müntze, vertröstete Reichs-Conclusum ins Stecken geräth, auch bey neulichsten Ober-Sächs. Probations-Tags-Convent die interessirten Stände zu keinem Schluß, wie weit von besagter Ordnung auf eine Zeitlang abezugehen, gelangen können. Als wollen Jhro Churfl. Durchl. dero Müntz-Guardienen, nach Anleitung eines verglichenen Notuls anbefehlen, hinführo mit der Groschen- und kleinern Müntz-Sorten Beschickung dergestalt zu verfahren, daß die feine Marck auf $10\frac{1}{2}$ Thl. so lange ausgemüntzet werde, biß künfftig in diesem Müntz-Punct ein allgemeines Reichs-Conclusum erfolget, Jhro Churfl. Durchl. hierunter ein anders zu verordnen Ursache haben würden; jedoch daß der Fuß des Reiches-Thalers verbleibe, wie er in der obbemeldten Valvation gesetzet ist. Sign. unter Jhr. Churfl. Durchl. Unterschrifften und fürgedruckten Jnsiegel, zur Zinnen am 27. Aug. 1667.

§. VIII.

Cujus consilii ratio defenditur.

Valde tum disputatum legimus utrum consultum fuerit a modo pecuniæ imperiali discedere. Sed eventus certe probavit præstitisse certam regulam sequi, quam diutius fluctuare. Interea tamen plurimi status, ideo accedere noluerunt, quod malle se rem totam ad legum imperii regu-

lam

lam reduci prætexerent. Sed & Sereniſſimi paciſcentes id fieri poſſe optabant, & temporario ſaltem hoc conſilio, donec fieret, proſpicere ſubditis volebant. (a) Verum ad hæc usque tempora fruſtra id optari videmus.

(a) MULL. Annal. Sax. ad an. 1680.

§. IX.

Subſtituitur deinde modus Lipſienſis.

Nec ita tamen malum ſublatum erat. Alii enim ſtatus minime illud exemplum imitantes, ita depravari ſiverunt monetam ſuam, ut ad 12, 15, pluresque imperiales, ex marca cuderentur. Satis id teſtantur mandata, quæ in electoratu Saxoniæ ab eo tempore prodierunt, adeo frequentia, ut juſtum volumen conficiant. Quæ pecunia, cum in commercio eundem fere valorem extrinſecum haberet, ac Saxonica & Brandenburgica, ſubito inundavit Saxonicos circulos: dum proba interea moneta paſſim conflaretur, ac in officinis ſtatuum quorundam, regali jure ſuo male utentium recuderetur, magno privatorum, huic argenti monetæque commercio ſervientium emolumento, quibus brevis illa ad magnas opes via mire placebat. Videbatur jam novum ſeculum æruſcatorum imminere. Adeoque in comitiis imperii ſerio quidem conſultabatur de remedio. Sed non eadem omnium ſententia erat, longumque videbatur lentæ conſultationis, & præterea diſcordis, exitum expectare. (a) Ideo domi remedium quærentes ſereniſſ. elector Saxoniæ, electorque Brandenburgicus, & e Saxonia inferiori duces Brunſuicenſes ac Luneburgenſes, junxerunt conſilia, ut, abolita pravorum nummorum colluvie, pecuniam per gradus veluti, cum uno impetu id fieri non poſſe viderent, ad normam edicti imperialis de an. 1559 revocarent.

(a) Elector Saxoniæ rationem conſilii in edicto de an. 1690. 4. Mart.

ita reddit: Dieweiln aber diese heilsame Sache auff den Schluß derer beym Regenspurgischen Reichs-Convent fürgehenden Deliberationen länger auszustellen, nicht ohne Bedencken gewesen &c.

§. X.

Ejus ratio: Itaque an. 1690. ineunte, in conventu Lipsiensi, inter eos nova inita est ratio, cujus hæc præcipue sunt capita: usque ad festum Michaelis ejus anni, (quo tempore in novo conventu nova habenda consilia forent,) omnem monetam illegitimam proscribendam esse, & ne alia desit, meliorem statim surrogandam: cudendos vero ex marca nummos 16, 8, & 4. grossorum, usque ad valorem 12. imperialium. Neque ullam amplius pecuniam in Saxonia superiore aut inferiore, quæ in ordinariis monetæ officinis cusa non sit, recipiendam esse. (a)

(a) Vid. Recess. zwischen Chur-Sachsen, Chur-Brandenburg, und Braunschweig-Lüneburg in puncto monetæ verglichen zu Leipzig den $\frac{16}{26}$ Jan. 1690.

§. XI.

Et publicatio. Vigore hujus pacti novum edictum monetale e. a. d. 4. Martii publicavit elector Saxoniæ, & besses ($\frac{2}{3}$) ac trientes ($\frac{1}{3}$) thaleri electorales Saxonicos, ad modi Zinnensis rationem procusos, ad 18. & 9. gr. pretium evexit, reliquos præter Brandenburgicos, & Brunsvico-Luneburgenses, ad pretii sui intrinseci valorem, observatis præterea certis temporum terminis, proscripsit. (a) Deinde & Brandenburgici ac Luneburgici besses ac trientes, qui Saxonicis ad normam edicti monetalis Saxonici de an. 1684. cusis pares essent, valore quoque iisdem, per edictum d. 7. Maji 1690. æquati sunt: Et cum de quibusdam bessibus Saxonicis dubium videretur, utrum adhuc ad modum Zinnensem, an vero jam ad Lipsiensem cusi essent, decisum

eo

eodem anno, ut Zinnenses ex collari imaginis electoralis dignoscerentur.

(a) Edict. d. 5, Aug. ubi verba: Damit aber auch der gemeine Mann, wegen derer an. 1689. gegen unsere itzt ausgemüntzte Sorten, desto weniger irre gemacht werde, so sollen die erhöheten, auf den Zinnischen Fuß unter unsern Bildniß, in gedachten Jahre geprägten, ein und 2. drittheil thaler, an dem darauf befindlichen halßtuche und Bande, als dergleichen auf den itzigen neuen nicht zu befinden, erkannt und angenommen werden, rc.

§. XII.

Modus Lipsiensis ab aliis quibusdam statibus adoptatur.

Commendatum institutum Cæsareæ Majestati, & comitiis. (a) Communicatæ rationes consilii non modo cum potentioribns utriusque Saxoniæ, sed aliorum etiam circulorum ordinibus, ut & ipsi ad illius imitationem, ac inde fluentem monetæ æqualitatem invitarentur. Quemadmodum & eodem statim anno Sueciæ Rex, ratione provinciarum Germanicarum, per pactum cum aula Brandenburgica initum, huic conventioni accessit. (b) Et pluribus eam placuisse satis ostendit diversorum imperiii statuum moneta, quæ titulum modi Lipsiensis (nach dem Leipziger Fuß) præ se fert.

(a) Conf. Ursachen, warum der jüngst im Januario 1690. zu Leipzig abgefaßte Müntz-Recess aufgerichtet worden ap. THOMANUM P. II. p. 369.

(b) Müntz-Schluß zwischen der Cron Schweden und Chur-Brandenburg zu Gräntzenau in der Uckermarck eingegangen d. 4. Jul. 1690. ap. THOMAN. P. II. p. 371.

§. XIII.

Quid desiderent circa illum circulus Franconicus, Suevicus, & Bavaricus?

Non vero omnino placuit tribus circulis, Franconico, Bavarico, & Suevico, qui communes in re monetali rationes habent. Illorum enim vota eo collimant, ut thaleri, omnisque alia cum aurea, tum argentea moneta, a valore quo nunc ultra

ultra edicti imperialis menſuram gaudent, extrinſeco, ad priſcum valorem reducantur: quo facto rerum pretia diminutum, & redituum publicorum, ac ſalariorum integritatem reſtitutum iri ſperant. Id conſilium maxime in conventu, an. 1700. quod tum reddita germaniæ per pacem Rysvicenſem paullo ante tranquillitas favere videretur, urgendum exiſtimabant. Diſplicebant ergo, velut remoram aliquam inſtituto afferrent, beſſes & trientes thaleri, ſecundum modum Lipſienſem cuſi: Et elector Moguntinus, cui directorium ratione epiſcopatus Bambergenſis in iſtis conventibus competit, communi nomine conſilium circulorum, ut aliis imperii circulis, ita & aulæ electorali Saxoniæ, itemque Berolinenſi, & Cellenſi, (a) ſimulque quid de modo Lipſienſi conquerantur, communicavit.

(a) Vid. Staats-Cantzeley T. V. p. 496.

§. XIV.

Ad illa deſideria reſponſio. Exſtant & reſponſoriæ ad eas literæ, quibus conſilium de reducendo thalero ad primum valorem, & inſtauranda edicti monetalis obſervantia, ſibi omnino probari teſtantur Sereniſſimi modi Lipſienſis auctores, ſed ſucceſſum optari magis quam ſperari poſſe. (a) Inprimis ad gravamen de uſuris prolixe reſpondet, & monetam ad modum Lipſienſem cuſam defendit aula Cellenſis, in reſponſoriis ad Moguntinum literis, quem locum integrum ſubjicimus. (b) Ipſi mercatores Francofurtani, excuſant augmentum *(l'aggio)* pro moneta Saxonica pendi ſolitum, & ſine periculo commerciorum aboleri non poſſe teſtantur. (c) Jam diu in imperio diſputatum eſt utrum expediat extenſioni valoris extrinſeci thalerorum favere, an vero omni conatu ad 24. gr. illum revocare. (d) Si in re tanti momenti privatim ſen-

ſententiam dicere licet, ſperandus non eſt ſucceſſus poſterioris conſilii, cum argentum rude tanti veniat, ut etiam qui ſecundum modum Lipſienſem monetam cudunt, nullo emolumento, aut certe perexiguo gaudeant. Siquidem in ipſa Saxonia, quamvis uberes ſint per Dei gratiam metallifodinarum reditus, argentum rude, factumque pluris conſtat, quam inde monetæ confici ſecundum imperiale edictum poſſit: Marca enim conſtat XI. thaleris 20. groſſis: Apud vicinos autem adhuc majori multo eſt in pretio, quos noſtris legibus minime conſtringere poterimus. Quis credat iam, thaleros ita ad priſcam legem reduci, aut ſi reducantur, in Germania retineri poſſe. Quare & in comitiis de augendo thaleri valore aliquoties propoſitum. Utrum deinde, quod ſalariis, cenſibusque deceſſit, per iſtas ambages ſuppleri debeat, poſſitve, illorum eſt diſpicere, qui omnes circumſtantias penitius inſpexerunt.

(a) Vide literas regis Pruſſiæ, & aulæ Cellenſis reſponſorias ad electorem Moguntinum, in Fabri Staats-Cantzeley T. X. p. 489. & 491.

(b) d. l. p. 494. ſequ. So iſt zur Gnüge bekandt, und werden Eu. Liebden, wenn ſie nur durch ein und andern tüchtigen, und ehrlichen Müntz-Meiſter die Probe machen laſſen wollen, befinden, daß das in mehr erwehnten Schreiben geſetzte Suppoſitum, als ob erwehnte Guldiner Stücke in ihrem innerlichen Gehalt, und wahren Reichs-Schrot und Korn, nicht beſſer als die Reichs-Thaler seyn, ſich gantz irrig befinde, indem zwar die nach rechtem Reichs-Schrot und Korn auff dem Hartz gemüntzte, und etliche wenige andere, auff eben den Fuß geprägte Reichs-Thaler, von eben dem Gehalt, und ſo viel als 2. der ſo genandten, nach dem exacten Leiziger-Fuß ausgemüntzte Guldiner werth ſeyn; Gleichwie aber ſolche ſchwere Reichs-Thaler faſt gar nicht mehr ins commercium kommen, indem öffters unter

viel tausenden Banco-Reichs-Thalern kaum 100. derselben gefunden werden: Jetztgedachte ordinarie in commercio roulirende Banco-Reichs-Thaler aber, insgemein 2. biß 3. Grän geringhaltiger als jene, und also 2. von offtbesagten, nach dem exacten Leipziger-Fuß ausgemüntzte Guldiner, oder zweydrittel Stücken, in der That mehr als ein solcher Banco-Thaler werth seyn, also sehen wir nicht, wie man sich an Seiten bemeldter Obern-Crayße mit Fug beschweren könne, daß auff solche 2. Drittel-Stücke gegen dergleichen Reichs-Thaler das Aggio gefordert werde.

(c) Unvorgreiffliche Gedancken der Franckfurter Kauffmannschafft, ob das Aggio von denen Chur-Sächsischen, Chur-Brandenburgischen, und Braunschweigischen Gulden nicht gantz abzusetzen, oder doch auff ein leidliches gewisses zu reguliren.

(d) v. D. THOMANI Umständliches Bedencken, aus was vor Ursachen der gute und gerechte Reichs-Thaler weder an seinem innerlichen Halt der 14. Loth und 4. Gren fein Silbers, um 6. Kreutzer zu verringern? noch auch an den äußerlichen Werth der 90. Kreutzer, um 6. Kreutzer zu erhöhen. Act. mon. P. III. p. 142. In contrariam sententiam prodierunt Ratisbonæ 1690. Petri a Valckenier statuum fœderati Belgii Legati Extraordinarii: Unvorgreiffl. Gedancken, warum man den guten Reichs- und Frantzösischen Thaler in valore extrinseco muß erhöhen, ꝛc. item Remarques über die am $\frac{12}{22}$. Martii 1690. zu Regensburg ausgefertigte unvorgreiffliche Gedancken ꝛc. T. III. p. 219. & seq.

§. XV.

Ut solutio facienda, mutata pecunia?

Facile hinc apparet, mutata toties monetæ ratione, controversias exortas fuisse in solutionibus e contractu peragendis. Quarum & frequens mentio in edictis, quibus Saxoniæ superioris status, a. 1623. pecuniæ æstimationem ad pristinas

ſtinas leges revocarunt. Quod naturalis æquitatis eſt, ut, niſi de certo nummorum genere reddendo inter partes convenerit, ſolutio fiat juxta valorem monetæ, qui cum contractus iniretur, obtinebat: adeoque ſi ille ab eo tempore crevit, debitor ſolvens incrementum deducat: ſi decrevit, quod deeſt, ſuppleat; (a) id, & in camera quoque receptum eſſe teſtantur Jure conſulti. (b) Et in Saxonia electorali ſpeciali conſtitutione ſancitum eſt. Sed cum ex manibus æruſcatorum, qui aliquamdiu in fortunas civium ſævierant, moneta iterum liberanda eſſet, innumeræ & difficiles lites metuendæ erant, ſi illa regula ſervari deberet. Itaque in edicto monetali de an. 1623. ſequentia conſtituit Sereniſſimus Elector Saxoniæ: I. ut in præſtationibus pecuniariis, ex quocunque contractu per illud triennium celebrato, debitis, niſi expreſſe convenerit, in quo genere ſolutio fieri debeat, ſolum tempus ſolutionis pro norma ſit, adeoque conſtitutio ante dicta in illis caſibus ſuſpenſa ſit, ſalva in poſterum auctoritate ſua. (c) II. Reliqua autem debita apud mercatores, aut alias pro rebus ad victum facientibus, operisque opificum, & famulorum, illo triennio contracta, cum creditores illa computaverint ad rationes pravæ pecuniæ tum uſitatæ, ad eandem quoque rationem ſolvantur, & ſi inter partes non convenerit, moderationi magiſtratuum locus ſit. III. Quantum ad depoſita judicialia, ſi legitime depoſita fuerint, debitor ut a periculo rei, & curſu uſurarum, ita quoque a damno decreſcentis monetæ liberetur: Secus vero ſi quid officii in deponendo neglexerit.

Conſtiutio electoralis 28. P. II. ſuſpenſa per edictum de a. 1623.

(a) conf. HENNINGII RENNEMANNI deciſio controverſiæ monetariæ, circa valoris vulgo recepti incrementum, & decrementum. DINNERUS de monetæ mutatione quoad ſolutionem. JOH. RUDOLPH. WERNERI quæſtiones, an in ſolutioni-

tionibus tempus debiti vel ſolutionis ſit inſpiciendum: aliique plures.

(b) GAILIUS *L. 2. obſ. 73* & MYNSINGERUS *Obſerv. 1. Cent. IV.* PFENNINGK. *de rei nummariæ mutatione, & augmentat. l. 2. c. 10. tot. in ſpecie n. 40.*

(c) Und das ſoll alſo nicht allein in mutuo, und bey geliehenen Geldern, ſondern auch in allen andern verbriefften, oder ſonſt erweißlich abgehandelten Contracten, als kauffen, miethen, tauſchen, Pfandſchillingen, und wie ſie ſonſt Nahmen haben mögen, ſtatt finden. Quod & diſponitur in Georgii Wilhelmi Elect. Brandenb. edicto e. a. Kal. Januarii publicato; ap. THOMANUM l. c. p. 264. ubi & variæ cauſæ afferuntur, cur conſultius tum temporis fuerit ita ſtatuere. Et jure ac prudenter ſtatutum fuiſſe alibi apparuit. Nam cum aliter Joh. Erneſtus dux Vinarienſis, ſuo & fratrum nomine decidiſſet, tot litibus ſtatim occupata fuerunt tribunalia, ut publico edicto eas increpare neceſſe eſſet. V. edictum Joh. Erneſti d. a. 1623. ejusque elucidationem ap. THOMAN. l. c. p. 265. 266.

§. XVI.

Sed poſtea reſtituta: Sed cum hæc temporaria lex ſaltem eſſet, pace per Germaniam reſtituta, cum per totum imperium deliberaretur de ſublevandis debitoribus, elector Johannes Georgius non modo, quæ in receſſu imperii an. 1654. diſpoſita ſunt ſubditis publicavit, ſed legem quoque de a. 1623. quoad hunc paſſum abrogavit, (a) & ad conſtitutionem 28. P. II. rem totam reduxit; ut ſcilicet omnia debita pecuniaria ſecundum valorem, quem pecunia tempore contractus habuerat, ſolverentur: verba ipſa operæ pretium eſt addere: **Setzen demnach, ordnen und befehlen hiermit ernſtlich, daß in allen unſern, ſo wohl unſerer Lehn-Leute, Beamten und Unterthanen Gerichten, hinführo ohne Unterſcheid der Perſonen und Schulden, aus welcherley Handlungen, und Contracten dieſelben herrühren möchten, unſere Landes-Conſtitution 28. P. 2. præciſe beobachtet,**

achtet, und Inhaltes derselben die Wiederzahlung andergestalt nicht, als nach dem Werth, so Zeit des Contracts gewesen, dem Schuldner aufferleget werden solle. Damit auch hierunter aller Streitigkeit, so aus dem zweiffelhafftigen Müntz-Werth einer oder der andern Zeit entstehen könte, der Weg abgeschnitten werde, wollen wir diese Verordnung allein von denjenigen leichten Müntzen, so an. 1619. vom 1. Jan. 1620, 1621, 1622, biß auf den 13. Julii 1623. üblich gewesen, aus derer Abgang damahls augenscheinlich verspüret werden können, verstanden haben: Wie denn ferner die Reduction ohne Unterscheid ietztberührter Jahre nach dem valor des Reichsthalers, was derselbe jedesmahl öffentlichen Edicten nach gegolten, oder in Entstehung Zweiffels, solchen zu 5. Gülden gerechnet, anzustellen ꝛc.

(a) Vid. Churfl. Mandat von Reduction der Müntze, und dem Æquilibrio de an. 1656. 25. Jul.

§. XVII.

Jam facile computari poteſt, quomodo moneta ad modum reducenda ſit, qui tum obtinuit, cum contraheretur debitum. Si quis ante d. 27. Aug. ſt. v. an. 1667. in pecunia ad legem imperii computata 100. thaleros debere cœperit, 120. thaleros & 20. groſſos, ſecundum modum Zinnenſem exſolvere debuit. Secundum modum vero Lipſienſem 133. thaleros & 8. groſſos debet. Interim ſolent ſaltem 25. tribui, niſi in ſpecie nummi unciales in tabulis expreſſi fuerint. Illuſtrant hæc quæſtionem, quam tractatam videas a Conſ. BARTHIO: (a) Cum an. 1685. obligaſſet ſe emtor ad ſolvendum emtionis pretium an guter unvalvirter Reichs-Silber-Müntze, den Reichsthaler zu 24. Gr. und den Gr. zu 12. Pf. nach den

Quomodo exſolvendæ pecuniæ ad modum imperii debitæ?

Churfl. Sächſ. alten Müntz-Edicten: quæſitum poſt aliquot annos fuit, utrum ſufficiat ſolviſſe in pecunia ad modum Zinnenſem computata. Reſponſum fuit non ſufficere, (b) ac in ſuprema appellationum curia, augmentum ad 25. determinatum eſt (c) Cæterum ſunt qui exiſtiment ſi non promiſſa ſit pecunia imperialis, ſecundum antiquam bonitatem intrinſecam (nach alten Reichs Schrot und Korn ausgemüntzte Müntz-Sorten) per voces guter Reichs Silber-Müntz intelligi etiam poſſe monetam ſecundum modum Zinnenſem aut Lipſienſem cuſam. (d)

(a) Vid. Conſilium Dn. SCAB. Lipſ. in Dn. BARTHII Hodeg. For. p. 482. verb. Dieweil aber dennoch gute und unvalvirte Reichs-Silber-Müntze verſchrieben worden, der Zinniſche Fuß hingegen der Güte der Reichs-Müntze nicht conform, ſondern mercklich davon abgehet ꝛc.

(b) Ibid. l. c.

(c) Vid. Sententiam ibid. p. 481.

(d) V. Ill. BERGER. in ſuppl. elector. forenſium P. II. ad Tit. 50. p. 980.

§. XVIII.

De reductione modi Lipſienſis ad Zinnenſem.

Si debitum eo tempore contractum, quo modus Zinnenſis obſervabatur, nunc ubi Lipſienſis obtinet, exſolvendum eſt, 12½. in centum conceduntur. Ea enim proportio eſt pretii intrinſeci in computo Lipſienſi erga Zinnenſem. (a) Ubi vero non præciſe electoralis Saxonica moneta promiſſa ſit, non tantum augmentum expoſci debet, ſed ſufficere, ſi in moneta Brandenburgici & Luneburgici axiomatis, ad eundem modum confecta, quæ pro 7. aut 8. thalerorum in centum augmento comparari poteſt, debitum exſolvatur. Quæſitum etiam aliquando, cum ſors in moneta ad modum Zinnenſem cuſa in ſpecie exſolvi deberet, nec ſpecies tamen ipſæ diſertis verbis expreſſæ eſſent, utrum

beſſes

besses præcise & trientes thaleri requirerentur, an vero quatuor etiam duorumve grossorum nummi admittendi? Responsum Dn. Scabinorum Lipsiensium exhibet consult. BARTHIUS, (b) ex quo sequentia subjicimus: Dieweil aber dennoch niemand in einer grössern Summa über 25 fl. kleinere Müntze, davor die $\frac{1}{12}$ zu rechnen, anzunehmen gezwungen: Die Sechstel hingegen unter solche kleinere Sorten nicht zu rechnen, sondern wenn schlechthin Current-Geld verschrieben, nicht aber gewisse Sorten ausgedruckt, in Zahlung angenommen werden: jedoch auch nach Gelegenheit dießfalls, so wohl als Drittel, und zwey drittel, nach dem Fuß, des im Augusto 1667 getroffenen Zinnischen Müntz-Vergleichs ausgemüntzet seyn müssen: weil solcher Fuß eher nicht als an. 1690. auffgehoben worden rc.

(a) Conf. Ill. BERGERUS l. c. P. I.

(b) In Hodegeta forensi, p. 483.

§. XIX.

Usuræ sequuntur indolem sortis.

Usuræ ejusdem, qua sors qualitatis censentur, cum contrahentes non de alio, quam illius temporis usitato monetæ genere cogitaverint, (a) nisi creditor usuras in minori pecuniæ bonitate consistentes per aliquot & minimum tres annos acceperit: (b) Quo ipso tamen sorti non præjudicatur.

(a) v. præjudicia apud Dn. BARTH. l. c. p. 484.

(b) Conf. Ill. BERGERUS l. c.

§. XX.

De solutione Cambiati.

Inprimis cautum fuit in Saxonia ne in solutione collybistica, oboriri tricæ ob diversas monetæ species possint: Itaque in ordinatione cambiali §. XXII. constitutum: ut si aut nulla monetæ species expressa, aut thaleri promissi, uncialibus fiat solutio. (a) Si moneta, quæ in quotidiano usu est, pro-

missa,

miſſa, (*current*) ut excludantur, ſpecies quæ infra groſſi imperialis valorem ſunt. Quod deinde alio reſcripto an. 1685. d. 23. Sept. (b) extenſum ad ſpecies, quatuor groſſis minores. Interim fere invaluit conſvetudo, ut promiſſa pecunia uſuali, non niſi beſſes aut trientes intelligantur. Et quidem ſi in Saxonicis ſpeciebus fiat ſolutio, ut in ſumma 100 thalerorum, 25. thaleri in groſſis accipiantur.

(a) In guten unverſchlagenen Creutz-Albertus-Holländiſchen, und andern guten gantzen, und halben Thalern, ingleichen mit gantzen und halben Ducatons, die gantzen zu ein und einen Ortsthaler gerechnet. Conf. arbitrationem (*parere*) mercatorum Lipſienſium ap. Dn. D. KOENIG. p. 674.

(b) Daß kein Kauff- und Handels-Mann in Wechſel-Zahlung dergleichen Müntz-Sorten, ſo am Werth unter 4 Gr. ſeynd, in ein hundert Thalern, mehr als vor zwantzig biß 25. Thlr. wieder ſeinen Willen anzunehmen ſchuldig, oder gehalten ſeyn ſoll.

§. XXI.

Quid ratione monetæ minutioris obſervandum?

De moneta minutiori etiam diſpoſitum eſt legibus imperii, & inprimis edicto Ferdinandi I. Indulgent illæ, & merito quidem ob majores officinæ ſumtus, ut minorem aliquanto nobilioris metalli portionem contineat. Scilicet ut marca crucigerorum, argenti puri contineat 3. uncias (6. Loth) 4. grana. Auguſtum electorem Saxoniæ laudat MODESTINUS FACHSIUS, JCtus, quod groſſi ejus, & denarii eandem portionem argenti habuerint, quam ipſi unciales, ut perinde eſſet, ſive unciales, ſive monetam provincialem haberes. (a) In pacto Lipſienſi d. 1690 §. 12. ita convenit: **Wegen der Scheide-Müntze hat man ſich auch insgeſamt verbunden, daß ein ieglicher der compaſcirenden hohen Herren, ſolches Ziel und Maaß künfftig halten, und**

gehö-

gehörige Verordnung in der That stellen solle, damit die benachbarten Lande damit nicht beschweret werden mögen. Communicavit etiam eam in rem consilia aula Berolinensis, cum aula electorali Saxonica, per Baronem de Boefzelar. Sed intra tractatus res stetit. Cum itaque quoad pretium intrinsecum minuta moneta deterior sit majoris moduli nummis, quanta ejus portio in solutionibus admittenda sit, determinatur in edicto monetali Ferdinandi: Die jetztgemeldte gemeine Reichs-Müntzen sollen also von männiglich im Reich, in kauffen, und verkauffen, und sonst in Bezahlung, biß auff den einen Creutzer inclusive, für wehrhafft, wie obstehet, ausgegeben und genommen werden; doch was unter denen V. Creutzern, soll niemand verbunden seyn, solcher Müntze über 25.fl. in Bezahlung und für wehrhafft zu nehmen. Hanc itaque legem in Saxonia ad grossos applicant, (b) immo ad grossos duplos extendi videas. (c)

(a) Im Bedencken, ob die Müntz-Herrn geringere Müntzen sollen schlagen lassen de an. 1568. ap. THOMANUM Act. Monet. P.III. p. 122.

(b) In respons. Dn. Scabinorum Lipsiensium de a. 1699. quod exhibet Consult. BARTHIUS l.c. p. 482.

(c) In alio responso eorundem, ex quo nonnulla supra excerpsimus.

§. XXII.

De officinis monetariis circuli superioris Saxoniae.

Hactenus explicuimus, quicquid legibus de intrinseco pecuniae valore dispositum. Jam inquirendum erit, quibus institutis observantiae legum, & quamdiu communibus circuli consiliis res tractata fuit, & postea in electoratu Saxoniae prospectum fuerit. Curandum ante omnia erat, ne moneta ab aliis, quam qui jure hoc regali gauderent, nec aliter nisi ad legis praescriptum cuderetur. Deinde ut diligenter explo-

raretur pecunia, & prava aut proſcriberetur penitus, aut ad valorem ſuum intrinſecum determinaretur. Prius obtineri poſſe viſum eſt inſtitutis certis per circulos officinis ordinariis, quibus ſolis ſtatus uterentur. Poſterior cura conventus monetales præcipue occupavit. Primum ergo de officiniis hujus ciruli: tum de conventibus ejus monetalibus agemus. Et initio quidem Lipſiæ, Berolini & Stetini fuerant officinæ conſtitutæ; Sed in conventu circulari Juterbocæ a. 1511. occaſione emendatæ in comitiis imperii ordinationis monetariæ habito, tribus iſtis quarta adjecta eſt Salfeldiæ. (a)

(a) MULL. Arn. Sax. ad h. a. p. 160.

§. XXIII.

Extraordinariæ

Statibus tamen quibus metallifodinæ ſunt, proprias habere ibidem officinas per easdem imperii leges licet: quæ extraordinariæ vocantur. Idque ex priſca libertate duravit: ſiquidem vel ſolius domus Saxonicæ annales probant, officinas, ubi maxime commodum viſum eſſet, inſtitutas. (a)

(a) R. I. de a. 1570. §. 153. & d a. 1571. §. 27.

§. XXIV.

Officinæ clandeſtinæ prohibitæ.

Sed præterea clandeſtinas officinas (Hecke-Müntzen) minime habere licet: & ab initio ſevere in eas legibus imperii animadverſum. Inculcatum enim circulis in eas inquirere, inſtrumenta confringere, & metallum ibidem repertum in fiſcum redigere: Servavit legum vigorem circulus noſter: nec impune fuit ejusmodi officinas inſtruere. Itaque cum comites Mansfeldiæ Heckſtadii ad Wipperam cudi monetam curaſſent, an. 1572. ſtatus circuli prorſus illis interdixerunt exercitio juris monetæ. Quod cum a. 1579. reſtitui ſibi peterent, noluerunt ſtatus inconſulto imperatore precibus locum dare. (a) Cum initio ſeculi XVII. dux Pomeraniæ Franciſcus Julius

Frantzen-

Frantzenhagi, comes Barbiensis in oppido Barbiæ, & Stralsundiæ senatus in ipsa civitate monetam cuderent, status circirculi in comitiis an. 1612 monuerunt, ut cœpto desisterent, (b) repetineruntque admonitionem a. 1614. cum comminatione executionis (c) pœnæ, in talia audentes statutæ. Et elector Brandenburgicus institutam Briesenæ in finibus Poloniæ officinam statim sustulit, ne exempli sui auctoritatem alii prætexerent. Quanti laboris fuerit Anhaltinis principibus, ut excitas passim in suis ditionibus officinas privatas disjicerent, BECMANNUS testis est. (d) In pacto Lipsiensi, a. 1690. inito, inter alia quoque convenit, (e) ne monetæ in clandestinis officinis prodeunti in commercio locus sit: utque omnes utriusque Saxoniæ status, qui istiusmodi officinas exstruxissent, tollere illas, & si jure cudendæ monetæ gauderent, officinis circulorum ordinariis uti, monerentur, adjecta comminatione pœnarum imperii legibus sancitarum, si in cœpto perstiterint. Et adhuc hodie aulam electoralem Saxonicam, vi directorii, huic curæ incumbere, constat.

(a) MULL. Ann. ad a. 1579.
(b) Id. ad h. a. p. 263.
(c) Id. ad h. a. p. 303.
(d) Histor. Anhalt. T. IV. C. 7. p. 554.
(e) Art. 6. apud THOMAN. P. II. p. 367.

§. XXV.

Cura monetæ quæ fuerit in terris domus Saxonicæ ante conventus circulares.

Alteram circa custodiam legum monetalium curam circuli comitiis demandatam diximus: Et serenissimi quidem Saxoniæ duces jam olim non modo inter se, cumque ordinibus suis provincialibus, verum & cum vicinis diligenter comunicaverunt consilia, rem frustrabilem rati, novas leges monetales condere, nisi & vicini similia instituta haberent. Fridericus sapiens elector, ejusque frater Johannes, ne quid de antiquioribus

ribus temporibus dicamus, cum patrueli Georgio, patris Alberti vices ſuſtinente an. 1490. & 1500. in communes leges convenerunt. (a) Deinde etiam communicata ſæpe inter duces ipſos, & cum vicinis, ſylvæquæ Hercyniæ conterminis civitatibus, & comitibus conſilia, donec a. 1521. conveniret, ut in poſterum Saxonica, Magdeburgenſis, Mansfeldenſis, Stolbergenſis, Schwarzburgenſis, Erfurtenſis & Mulhuſina moneta ad eundem modum cuderetur, nec alia in commercio acciperetur, reddereturve. (b)

(a) Ordinationes recenſet SCHLEGELIUS de numm. Goth. p. 97. ſq.

(b) Conventus & conſultationes recenſet idem l. c. p. 123. Conf. idem de numm. Iſenac. p. 38.

§. XXVI.

De conventibus monetalibus in circulo ſuperioris Saxoniæ olim habere ſolitis

Cum poſtea leges imperii cuſtodiam juris monetarii circulis demandaſſent, in ſuperioris quoque Saxoniæ comitiis ea negotia tractari, & peculiares conventus explorandæ monetæ cauſa inſtitui cœperunt. Ita a. 1571. decretum, ut ſecundum ordinationem imperii duo quotannis conventus explorandæ monetæ cauſſa inſtituerentur, alter Lipſiæ, alter Francofurti ad Viadrum. (a) Quod a. 1593. ita ſpecialius determinatum, ut in poſterum Kalendis Maji Francofurtum, & Lipſiam die lunæ poſt nundinas autumnales, citra ſpecialem convocationem convenirent. (b) Sed an. 1610. ut ſumtuum & itinerum compendium facerent, ſtatuerunt ſemel tantum quotannis, modo Lipſiam, modo Francofurtum convenire, (c) quod anno denuo 1628 confirmatum eſt. (d) In his conventibus omnis generis monetæ, in circulo cuſæ, a *Zygoſtatis* explorandæ erant, (e) ut proba diſcerni a viliori, atque hæc notari pro merito poſſet. In legum violatores, pro delicti ratione animadvertebatur: monetarii & Zygoſtatæ jurejurando ad imperii & circuli fidem adſtringebantur, conſilia cum aliis circulis communica-

nicabantur, & quæ alia ejus generis erant, ex legum imperialium præscripto, in conventibus explorandæ monetæ observanda, quæ præter juris publici, & inprimis monetarii scriptores, data opera ab aliis tradita sunt, (f) a nobis vero ob mutatam rerum faciem secure prætermittuntur.

(a) MULL. in Ann. Sax. ad h. a.
(b) Id. ad h. a. Conf. recessus ejusdem conventus.
(c) Id. ad h. a. p. 256.
(d) Id. ad h. a. p. 334.
(e) Ut moneta exploretur a zygostatis, late describit HOFMAN. im Müntz-Schlüssel qu. 25. p. 56.
(f) V. RENER. BUDELIUS de dictis probationum, & præcipue quæ commentatus est Dn. JO. de SCHEIDLIN. de conventibus monetalibus trium superiorum correspondentium circulorum Franconiæ, Bavariæ, & Sveviæ. 1719.

§. XXVII.

Ordinationes electorales Saxonicæ circa cudendam monetam.

Ex quo autem in conventu circuli Saxoniæ superioris a. 1667. placuit, ut singuli status tantisper sibi consulant, donec communi imperii concluso tollantur abusus, & ipsa comitia circuli penitus deinde cessarunt, (a) ultra institutum nostrum est singulorum statuum persequi rationes. Iis itaque saltem immorabimur, quæ serenissimus elector Saxoniæ hanc in rem, ea cum æquitatis & sapientiæ laude constituit, ut politiæ instar aliis esse possit. (b) Ad tria præcipue capita attenditur: 1) ut legitima moneta cudatur: 2) ne confletur, aut exportetur: 3) ut peregrinæ monetæ modus statuatur, sive illam omnino proscribere, sive saltem valorem eius ad pretium intrinsecum temperare consultum sit. Ut legitima moneta cudi possit, requiritur, ut parabilis argenti copia in promtu sit. Quodsi enim argentum rude majori pretio comparandum fuerit, quam postea ubi signatum est, valuerit, quomodo regali suo uti poterunt status, imperii legum servandarum cupidi? Hinc tot

ea de re querelæ passim exstant. In electoratu Saxoniæ, quamvis ampli sint metallifodinarum reditus, sollicite tamen cavetur, ut argentum rude, vel ex vasis argenteis, aut moneta illegitima conflatum in usus officinæ monetariæ vendatur. Varia exstant eam in rem cum vetera, tum nova edicta. (c) Ita adhuc a. 1717. d. 25. Aprilis cautum est, ne argentum rude, factumve, aut conflatum (**Bruch- und andere rohe Silber**, pagamente, **und Gekrätze**) ad alios quam officinæ monetalis usus vendatur, definito simul XI. thalerorum, & 20. grossorum in marcam argenti puri pretio.

(a) Daß einem ieglichen Reichs-Stande auf ein Interims-Mittel, biß der Reichs-Schluß heraus komme, auff was Weise er sich, und sein Land von solcher schädlichen Einschleichung der ungerechten und geringhaltigen Müntz-Sorten zu befreyen gemeynet, zu gedencken ungewehret. MULL. Ann. Sax. ad h. a. p. 472.

(b) Conf. Acta Comitiorum.

(c) e. g. d. 1708. d. 5. Maji a. 1709. d. 2. Jun. a. 1710. 15. Obr.

§. XXVIII.

Itemque probam monetam conservandam.

Circa secundam quoque partem multa salubriter disposita invenimus: Eum enim in finem exportatio Saxonicæ, aliusque legitimæ monetæ variis edictis prohibita est. (a) Ubi tamen limitationem aliquam adjecit edictum d. 9. Sept. 1692: **Lassen aber sonst geschehen, daß die Kauff- und Handels-Leute zu Bezahlung ihrer Wechsel, und Wahren, die guten Sorten auffwechseln, auch allenfalls außer Landes versenden:** sed jure jurando simul attestari jubebantur, se non in officinam aliquam clandestinam, sed negotiorum suorum caussa monetam alio ablegare: Porro aurifabris aliisque opificibus (b) aliquoties prohibitum, ne monetam imperii, aut Saxonicam in suos usus conflent. (c) Succurrit denique legibus prudentia civilis: cumque ex argento

puro,

puro, ſine liga cuderentur beſſes, ideoque facilius multo conflari poſſent, atque ipſa illa facilitas præſentis lucri cupidinem in hominibus accenderet, nuper iterum ligam addere placuit, quod argentum mixtum non tam facile ſolvitur, operæque & impenſæ difficultas, conflare cupientes abſterret. Magno quidem ad retinendam domeſticam monetam adminiculo foret, ſi luxum & delicias reprimere, ac fomentis illarum, quæ magni, ab exteris comparanda ſunt carere vellemus. Sed hic alius commerciorum cauſam obtendet, alius forte omittenda potius adulta ac prævalida vitia cenſuerit, quam ſollicitando ea, quod impares coercendis ſimus, palam facere.

(a) A. 1685. 10. Aug. a. 1692. 8. Apr. in edicto de 1673. 7. Iun. ulterius cavetur: Mäckler ſollen in geheim anſagen, daß das von ihnen ausgerichtete Geld zum Verbrechen ſoll verbraucht werden. adde edictum de a. 1709. d. 9. Decemb.

(b) v. Mandat. d. a. 1673. d. 24. Apr. Vol. I. f. 84.

§. XXIX.

Difficultas circa prohibendam monetam peregrinam.

Ubi peregrinæ pecuniæ modus ſtatuendus eſt, ingentes difficultates ſeſe exerere ſolent. Cum enim procul abſimus a Galliæ aliorumque regnorum felicitate, in quibus ſola moneta indigena uſum habet; negotiatores, qui aliunde adveniunt, & pecuniam peregrinam afferunt, ſi in electoralibus oppidis illa rejiciatur, apud vicinos emunt, non ſine mercaturæ Saxonicæ detrimento. Sæpe mercatores eandem pecuniam licet ultra valorem intrinſecum acceptam alibi, in merces iterum eodem pretio impendere poſſunt. Modo queruntur non ſufficere monetam Saxonicam communibus & quotidianis impenſis, cum ingentes ſummæ aut exportentur, aut in fœnus ſerventur.

§. XXX.

§. XXX.

In quam nihilominus animadversum est.

Nihilominus indefessa cura incubuit aula huic negotio: modo ad certum pretium monetam determinavit, modo prorsus proscripsit, modo cavere, ne aliunde advehatur, modo negotiatores monere jussit, ne recipiant. Hæcque omnia tam sæpe iterata, ut satis constet, si penitus tollere malum non liceat, attamen sæpe sollicitando, ne altius radices agat, impediendum esse. Varia & hoc ipso seculo hanc in rem prodierunt edicta, (a) & anno denique 1721. d. 18. Apr. monetæ viliores prohibitæ. (b) Singulas vero peregrinæ monetæ species proscriptas, aut infra valorem extrinsecum, quo hactenus gavisæ fuerant, positas hic persequi institutum non patitur. Multum autem proderit in nova Juris Saxonici collectione, edicta huc spectantia cum cura recenseri.

(a) e. g. de a. 1710. 6. Dec. quod denuo repetitum est 1716. 30. Jan.

(b) Add. Abdrücke derer in dem Mandat de dato 28. Apr. 1721. gäntzlich verruffenen Müntz-Sorten. item edict. d. 18. Jul. a. ej.

§. XXXI.

Præsertim in monetam Gallicam.

Inprimis inundavit Saxoniam moneta Gallica, quæ multum infra pretium intrinsecum est, quod secundum modum Lipsiensem, in Saxonia requiritur. (a) Sed hanc quoque edictum de d. 28. Apr. an. 1721. repressit, ac unciales usque ad an. 1708. cusos, ad 31 grossos, semiunciales ad 15½ gr. determinavit: recentiores plane proscripsit: ea adhibita moderatione, ut quo facilius liberare se ab illa pecunia homines possent, nundinæ primum Petri & Pauli Numburgenses ejusdem anni pro termino statuerentur, isque deinde usque ad exitum nundinarum Lipsiensium S. Michaelis, (b) & denique usque ad Martinalia prorogaretur. (c) Ut denique cuilibet unciales suos Gallicos impendere facile esset, ac simul illis ex

usu

usu quotidiano sublatis alia moneta commode surrogaretur, non pœnituit S.R. Majestatem usque ad ducenta millia thalerorum, monetæ Gallicæ, indelibato valore extrinseco, hactenus usitato,(d) in reditibus publicis ærarii admittere, qui in grossos, grossosque duplos deinde converterentur. (e) Sumtum, & quicquid deerat valori intrinseco, ordines provinciales receperunt, ut adeo generosius laudabilis in rempublicam studii documentum requirere non possis.

(a) Qui ante an. 1694. cusi sunt, valore tantum 1. Fl. 57. Kr. reliqui vix 1. Fl. 54. Kr. assequuntur : ut adeo in centum semiunciales gallicos, V. Florenis defrauderis. Vid. SCHEIDLIN. l. c. p. 40.

(b) Per Edict. d. 18. Jul.

(c) Per Edict. d. 24. Sept. 1721.

(d) Den Species Thaler zu 32. Groschen, die halben Species Thaler zu 16. Groschen rc.

(e) V. pat. d. 10. Jul. 1722. & de d. 19. Sept. an. ej.

SECTIO III.

De bonitate extrinseca monetæ : Ubi de speciebus monetæ, in Saxonia usitatis, earumque computo: itemque de caractere agitur.

§. I.

In quo consistat extrinseca monetæ bonitas.

BOnitas monetæ extrinseca consistit 1) in valore, sive æstimatione (in Werth und Wardirung) & 2) in signo, seu caractere. (a) Aestimationis causa divisa est moneta per varias species, quo facilius comparari cum diversi pretii rebus possit. Inde etiam edictum imperiale de anno 1559. requirit, ut cuilibet specie, valoris extrinseci signum inprimatur.

(a) Conf. Ill. BERGERVS in Resolut. ad ff. Tit. de Reb. cred. p. m. 169.

§. II.

Argenti rudis usus: accordo misceri moneta cœpit.

Antiquissimo tempore argenti rudis in Saxonia usus fuit, qui etiam inventa jam moneta, Seculo XII. adhuc duravit: fuitque integrum cuilibet, argentum habenti, ad officinam accedere, & soluto sumtu (den Schlägeschatz) commutare cum denariis. (a) Pendebatur autem argentum per marcas: unde & pecunia postea per marcas computata fuit. Initio nonnisi argentum purum in usu erat, quod & vetustissimi bracteati, illis temporibus confecti testantur, donec seculo XIV. inciperent ignobilius metallum admiscere. (b) Quoniam vero in diversis non modo regionibus, sed & civitatibus diversa erat miscendi ratio, ad denotandum verum pretium intrinsecum pecuniæ, solebant addere in contractibus mentionem caracteris, puritatis, ponderis ac valoris (e. g. Erfurthischen Zeichens, Wiß, Gewichtes und Wehre.) Atque adeo ex unius alteriusve bracteati bonitate ad omnes concludere non licet. Cum ne quidem eadem officina eundem semper modum servaverit.

(a) Vid. SCHLEGELIUS de num. Goth. p. 44.

(b) SCHLEGELIUS l. c. p. 61. & 70. id circa annum 1348. primum factum asserit, quod suo loco relinquimus.

§. III.

Marcarum divisio.

Cum in antiquis documentis talenta seu libræ, & marcæ sæpe ut sinonyma adhibeantur, (a) LAURENTIUS FRISEN (b) id inde factum putat, quod libra Romana, valoris nomen, marca Germanica autem pondus fuerit, ad quod nummi revera appenderentur. Marca dividebatur in quadrantes (Farthing, Firding &c.) (c) solidos, & denarios: immo & semi-denarios (Helbling) reperimus. Cum autem marca non eodem ubique pondere constiterit, in Thuringia & Misnia secutos fuisse pondus Coloniense auctor nobis est

FRISIUS

FRISIVS. (d) Sed certiora indicia merito adhuc in eo argumento requiras. Plerique enim cum de marcis agunt, confundunt pondus, cum computo monetæ.

(a) Vid. SCHLEGELIVS de num. Goth. p. 12. & 54.

(b) P. 141. immo deinde unam Marcam in Misnia, tria continuisse talenta, ex iis patet, quæ habet ANDREAS MOLLERVS in Chron. Freib. p. 145. ap. SCHLEG. p. 64. not. n.

(c) An. 1356. Firdingus VII. solidis denariorum Gothensium valebat: V. diploma in TENTZELII Suppl. II. Goth. p. 146.

(d) Sondern die Marcke nicht gleich seyn, indem die Troische Marck schwerer als die Wendische, die Wendische schwerer als die Nürnbergische, die Nürnbergische schwerer als die Augspurgische, die Augspurgtsche schwerer als die Cöllnische, die Cöllnische schwerer als die Mayländische. Unter denen allen die Cöllnische in diesen Landen die gewöhnlichste, damit gleich seyn die Franckfurthische, Erfurthische, Leipzigische, Göttingische und anderer Marcke dieses Landes übereinkommen. Marcæ Altenburgensis mentio apud SCHLEGELIVM de num. Goth. p. 7.

§. IV.

Solidorum vero jam mentio in antiquissimis Saxonum legibus: ita enim sancitum titul. 2. de occis. cap. 21: *qui nobilem occiderit IↄcccXL. solidis componat Ruoda*, (vel freda) *quod dicitur apud Saxones CXX. sol. & inter premium* (vel inter pretium) *CXX. solidis.* (a) Et cap. III: *Litus occisus CXX. sol. componatur.* Cap. IV: *Si servus a nobili occisus XXXVI. sol. componatur.* Sed illorum solidorum ratio quidem reddi non potest: neque satisfaciunt, quæ viri docti WENDELINVS, SPELMANNVS, & GRONOVIVS in eam rem attulerunt. Nam nec eandem monetæ Francicæ semper fuisse rationem constat: & denarium Saxonicum a Francico diversum fuisse, probabilis SCHILTERI conjectura est. *Solidorum quæ ratio?*

(a) Conf. BOECLERVS de mensura pretii.

§. V.

In Saxonia superiori ut computentur.

In ſpeculo juris Saxonici provincialis frequens ſolidorum mentio, in primis in materia de vidrigeldo. Ubi in diverſa abeunt interpretes. (a) In Saxonia ſuperiori tandem computarunt 16. denarios in ſolidum (b) & 20. ſolidos in libram, ſeu talentum, uti tum vocabatn. Unde computus **Pfund Schillinge**, frequens in antiquiſſimis monumentis illuſtraturque ex vetere reſponſo Scabinorum Lipſienſium. (c) Cui congruit computus ordinationis provincialis Mauritii de a. 1550. tit. **Was zu Ober-Nieder-oder Erbgerichte gehöret:** ubi ita definitur: **Deuben, die unter dreyen Schillingen, das iſt weniger den vier Groſchen werth ſeyn, gehören zu den Unter-Gerichten.**

(a) Land-R. l. 3. art. 45. ubi inter alia: Den Schöppenbahren freyen Leuten giebet man auch dreyßig Schilling zur Buße, Wendiſcher (*l. Pfundiger*) Pfennige, der ſollen 20. Schilling ein Marck wägen. Ihr Wehrgeld iſt auch 18. Pfund.

(b) In append. juris provincialis f. 162. Daß ein Pfund zwanzig Schilling *ſechzehen Pfennig*, darum man Brod und Bier kauffen mag, das iſt, die da ganghafftig und geb ſind, gerechnet werden, macht unſers Gelds allhier in Leipzig und in dieſen Landen 24. alte Schock.

§. VI.

De obolis Halenſibus.

Invaluit deinde monetæ genus, quod a civitate Halæ in Suevia, Halerorum (**der Heller,**) nomen tulit, (quamvis GOLDASTO olim alia nominis derivatio placuerit,) manumque expanſam, & crucem, urbis inſignia præfert. Jam ab an. 1228. in antiquis tabulis hanc monetam obſervarunt viri docti, atque per omnem late Germaniam eum modum imitati ſunt, ita in Thuringia etiam, & Miſnia receptam fuiſſe obſer-

obſervat SGHLEGELIVS: Sed nec Halerorum ratio ſemper, nec ubique eadem fuit: (a) tempore Ludovici Bavari an. 1320. triginta ſex ſolidi Halerorum æquipollebant marcæ Colonienſi. (b)

(a) Vid. varia valoris exempla ap. WEHNERVM in Obſerv. pract. voce Gůlden.

(b) Vid. SCHLEGELIVS de num. Gothan. p. 18.

§. VII.

De nummis harum ſpecierum bracteatis, qui paſſim reperiuntur.

Qui ex iſtis ſeculis ſuperſunt, vetuſti nummi, de illorum genere ſunt, quos bracteatos vulgo ob tenuitatem, alii etiam cavos vocant: & rudes plerique, pro ſeculi incuria. Quales runis ſeculo IX. circiter ſignatos e Suecia produxit NICOLAVS KEDERVS, Danicos BIRCHERODIVS, ac OTTO SPERLINGIVS, & in Germaniæ provinciis paſſim repertos, certatim Viri docti illuſtrarunt. (a) Ex quibus nonnulli in formam artis reducturi cognitionem bracteorum, in diverſas plane ſententias abeunt. (b) Quando apud Saxones invaluerint bracteati, non eſt hujus loci definire. Alii ipſis Carolingis antiquiores multo faciunt, & videas adeo apud Cl. OLEARIVM Balderici Turingorum Regis bracteatum e Seculo VI. produci. (c) Alii ab eo demum tempore deducunt, quo ſub Henrico I. Goslarienſes metalli fodinæ fuerunt detectæ. (d) Alii denique initio demum Seculi XII. invaluiſſe cenſent. (e) Certe exſtant quidem Lotharii & Friderici I. Imperatoram, Heinrici Leonis, aliorumque ejus ſeculi principum nomine ſignati: ſed antiquiorem, & Carolingis adeo coævum, qui extra dubium fuerit, nondum vidimus. Neque diligentiſſimus monetæ Carolingicæ inveſtigator LE BLANC vel unicam officinam monetariam in Saxonia deprehendit.

(a) De quorum ſcriptis conſuli poteſt Cl. LEVCKFELDIVS, in antiquitatibus nummariis, p. 8 -- 22. quo opere & ipſe de ſtudiis rei numiſmaticæ Germanorum optime eſt meritus.

(b) Vid. OLEARIVS in ſpicil. antiquit. ad num. XII.

(c) TENZELIVS in monatl. Unterredungen an. 1695. p. 972. & SCHLEGELIVS paſſim.

(d) Conf. LEVCKEELDIVS l. c. p. 12.

§. VIII.

De groſſis: eorum origo.

Nova monetæ ſpecies ex Bohemia in Miſniam, & vicinas regiones illata, atque adeo commoda viſa eſt, ut adhucdum duret. Venceslaus enim II. nummos ſolidos, quos groſſos, ut a bracteatis diſtinguerent, appellabant, (a) accerſitis, (b) Florentia, quæ tum erat urbs rei monetariæ laude clariſſima, operariis, & minores ſimul nummulos, quorum 12. groſſo valerent, ſignari juſſerat. Satis commodam diſtributionem monetæ imitati ſtatim ſunt vicini Miſniæ principes. Eorum ergo groſſorum aliquot ſpecies, quarum maxime fit in antiquis rationibus mentio, hic enumerare haud ingratum forte fuerit. De valore intrinſeco nonnulla paſſim adjiciemus, magis ut virorum doctorum, qui veteris pecuniæ Germanicæ rationes explicari optant, deſideriis morem geramus, quam quod ſperemus, eam ubique inveſtigari poſſe. Adeo confuſe & negligenter hic egiſſe FRISIVM, aliosque ſcriptores reperimus, ut citra acta publica, ipſamve monetæ analyſin raro iis fidere liceat.

(a) SIFFRIDVS Presbyter, apud Piſtorium T. I. Script. Rerum Germ. p. 701. id refert ad an. 1296. *Eodem tempore groſſi Pragenſes denarii initium ceperunt, ſub Rege Wenceslao II.* Conf. BALBINI Epit. hiſtor. Bohem. L. III. C. 16 p. 206. Sed obſervavit Cl. DEWERDECK in Sileſia numiſmatica p. 109. & ſeq. Venceslaum non inveniſſe primum, ſed inſtauraſſe hanc monetæ ſpeciem, profertque multum antiquiores groſſos Brazislai, & Bolislai ducum.

(b) Si

(b) Si HAGECIO fides p 360. edit. de an. 1596.

§. IX.

Fridericus admorſus ſtatim ejusmodi groſſos cudi fecit, cum hac perigraphe: FRI. DEI. GRA. TVRIN. LANGR. In area eſt crux, cujus extrema in lilia deſinunt. In altera facie: GROSSVS MARCH. MISNENSIS: & leo gradiens Miſnicus: idem & nummos minores, itidem ex puro argento ſignari fecit: qui circa crucem habent literas. FRID. TVR. LANGRAV. circa Leonem vero PARVI MISNENSES. (a) *Groſſi Friderici admorſ.*

(a) Conf. SAGITTARIVS in Diſſ. de num. Saxonicis.

§. X.

Celebres deinde groſſi a Vilhelmo coclite, & Balthaſare, circa an. 1390. procuſi atque Vilhelmini appellati, quorum 20. aureum conficiebant: (a) & poſtea Sexagenæ groſſorum novorum æquipollebant. Altera ſpecies Vilhelminorum eſt, quos Fridericus ſtrenuus, primus poſtea Saxoniæ, ex gente Miſnica, elector, & frater Vilhelmus dives, Marchiones Miſniæ, cum patruo Balthaſare qui Turingiam obtinebat, an. 1400. percuſerunt: (b) qui & in ſpecie Fürſten-Groſchen dicti ſunt. (c) *Groſſi Wilhelmini.*

(a) Auctore GEORGIO AGRICOLA, cujus locum ex libro de ponder. & temperat. monetarum p. 299. hic adjicimus, licet calculus ejus non per omnia ſibi videatur conſtare: Exſtant præterea, etſi pauci, vetuſtiores argentei, quos majores noſtri cum tributa conferrent, dominis numeraverunt. Etenim an. 1390. Wilhelmus, cognomento cocles, princeps Toringiæ (fuit vero Balthaſar Vilhelmi patruus) ex beſſe, qui quatuor uncias, & ſemiunciam (9. Loth) argenti in ſe contineret, ſignarunt octoginta, atque hi Vilhelmini ſunt dicti. Qui vero poſtea percuſi ſunt, partim ex altero Vilhelmo, jam duce Saxonum, partim ex Judaico capite cognomen traxerunt. Quoniam vero eorum viginti (Vilhelmini

ſcilicet

ſcilicet priores) aureo Rhenano permutantur, eo modo bes argenti minoris venit, nempe aureis Rhenanis octo. Wilhelminos vero alteros, fratres Fridericus, & Wilhelmus principes Miſenæ, & eorum agnatus Balthaſar, princeps Toringiæ, percuſſerant anno MCCCC.

(b) Vid. locus AGRICOLÆ ſupra allegatus.

(c) Frieſe p. 125. die Marggraffen von Meiſſen, und Landgraffen in Thüringen, haben auch nach der Art (aber noch geringer) wie ſie an. 1390. angefangen, Fürſten-Groſchen, Wilhelminer genannt, ſchlagen laſſen. conf. SCHLEGELIVS de num. Goth. p. 84.

§. XI.

Groſſi Friderici placidi & Vilhelmi, cum galea Miſnica: Jüden-Groſchen, bärtigte Groſchen.

Superſunt paſſim in muſeis groſſi a Friderico placido, & Wilhelmo forti, ab an. 1444. quo inſtaurata fuit moneta, quæ ſub Friderico ſimplice plane fuerat depravata, procuſi, ejusdem materiæ & formæ. Duorum autem generum ſunt. Alii præferunt ſcutum Thuringicum cruci impoſitum, & altera facie galeæ Miſnenſis ornamentum, caput ſcilicet hominis barbati, cum pileo acuminato, pennisque pavoninis ornato, unde barbati (**bärtigte Groſchen**) vulgo appellabantur: aut Judaici, (**Jüden-Groſchen**) quoniam Judæi tum temporis pileo, qualis in illis exprimitur, uti tenebantur. (b) De pretio extrinſeco teſtatur FABRICIVS, (c) quod viginti groſſi aureo Rhenano valuerint.

(a) SCHLEG. de num. Goth. p. 154.

(b) Vid. idem ibidem.

(c) Vid. locum §. ſeq. not. (a).

§. XII.

It. groſſi illorum Landsbergici: Sexagenæ veteris & novæ computus.

Alii ab iisdem principibus ſignati ſunt, qui leonem, ſcutum cum tribus trabibus, inſignia Landsbergenſia, tenentem exhibent. Ejusmodi centum pendunt beſſem, in quo ineſt argenti ſeſcuncia (3. **Loth.**) Tres ejusmodi groſſi æquabant Vilhelminum veterem, adeoque demum 60. æquipollebant

bant

bant aureo. (a) Ita conjicere licet mutationem ſexagenarum exortam, & 20. groſſos veteres, cum 60. novos æquarent, ſexagenam veterem appellatos fuiſſe, habito ad valorem, non ad numerum reſpectu: manſiſſe poſtea vero diverſam etiam in eadem moneta appellationem.

(a) FABRICIUS L. VI. Orig. Sax. p. 374. *Renovata itidem res nummaria, percuſſi nummi cum capite Judæi pileato, quorum viginti aureo valerent Rhenano tum nummi dicti Landsbergenſes, quorum ſexaginta eundem aureum pretio æquarent: Id autem factum eſt, quia Friderici negligentia, omne genus nummorum, minus proborum in has provincias importatum erat: exteri omnes edicto exterminati ſunt, exceptis Bohemicis.* Refert hæc ad a. 1439. ſed rectius ad a. 1440. & ſequ. referenda ſunt, ſiquidem Fridericus 1440. obiit.

§. XIII.

Groſſi Friderici Placidi in ſpecie: Groſſi electorales cum gladiis. (Schwerdt-Groſchen).

Deinde habemus groſſos, poſt reſarcitam inter fratres concordiam, Fribergæ quæ communis officina erat, cuſos, Friderici placidi autoritate: altera facie exhibent crucem, & ſuper illam ſcutum Landsbergenſe: & inſcriptionem F. DI. GRATIA TVRINGE. LAN. In circulo interiori, autem AN. MCCCCLVII. altera galeam Thuringicam coronatam, ac ſolitis bacillis ornatam cum inſcriptione: GROSSVS. MARCH. MISNENSIS. Eodem an. 1457. (a) Freibergæ primi prodierunt groſſi electorales, cum cruce & gladiis (Schwerdt-Groſchen) qui licet minore modulo eſſent, pari tamen cum antiquis Vilhelminis (b) (den Jüden-Groſchen) fuerunt bonitate.

(a) V. SCHLEGELIUS d. N. Gothanis p. 90. ubi contra JO. SEBAST. MULLERUM diſputat, qui ad a. 1458. refert.

(b) SCHLEGELIUS de num. Goth. p. 90. add. A. MOLLERI. Chron. Freibergenſe p. 103. 104.

§. XIV.

Groſſi Erneſti, & Alberti (Silber-Groſchen)

Friderico placido an. 1464. Lipſiæ mortuo, filii Erneſtus & Albertus, communicatis conſiliis cum patruo Vilhelmo, no-

vam grossorum speciem signarunt, qui in constitutionibus provincialibus vocantur grossi argentei (Silber-Groschen:) Continuatus illorum usus a. 1466. 1467. 1468. & 1469. Et in ordinatione provinciali de a. 1482. iidem principes statuerunt grossos hosce, sua & Vilhelmi auctoritate cusos retinendos: novamque minutioris monetæ speciem, facilioris commercii causa ordinarunt: Dieselbe unsere Silber-Groschen wir an Schrott und Korn nicht verändern, sondern die allezeit vor unser, und unserer Lande rechte Müntze und Hauptwehrschafft haben wollen, und die neuen Groschen, Pfennig und Heller, die wir jetzt zu einer Entscheidung der rechten Müntz haben schlagen und ausgehen lassen, sollen die Groschen viertzig einen Reinischen Gülden, und zween einen Silber-Groschen gelten, und 4. neue Pfennige, drey alte unsrer rechtgeschlagenen Pfennig vergleichen. Der neuen Heller sollen 24. einen Silber-Groschen und 12. einen neuen Groschen gelten, &c.

§. XV.

Grossi Schneebergenses, (Spitz-Gröschlein)

Atque hi forte grossi, de illorum genere fuerunt, qui detecta a. 1471. metalli fodina Schnebergensi, Cygnea signati sunt, quibusque inde Schneebergensium nomen, inditum fuit. Signatos primum a. 1477. conjicit SCHLEGELIUS. (a) Minoris autem quam priores moduli sunt, & ex argento puro. Unde mox ad 15. & denique ad 18. penningos pretio creverunt: Vidimus signatos a 1477. qui altera facie exhibent rutam Saxonicam, cum perigraphe: *Ernestus, Wilhelmus, Albertus D. G. DVCes SaXoniæ, TVringiæ Landgravii MArchiones MISniæ.* Altera insignia Landsbergensia, quæ ambit linea in acutos angulos ducta, unde forte nomen der Spitz-Gröschlein. Cum lemnate GROSSUS Novus MARCH. MISNE. 77. Vidimus

etiam

etiam Friderici & Johannis ac Georgii auſpiciis cuſos. Et tantæ fuit exiſtimationii hæc moneta, ut ſi FRID. MYCONIO (b) hic fides, Julii II. legatus ad comitia Trevirenſia 1512. in illa præcipue conferri tributa ad oppugnandos Turcas voluerit.

(a) SCHLEGELIUS de num. Goth. p.160. vid. ipſam effigiem tab. III. n. 16.

(b) FRID. MYCONIUS in hiſt. reformationis p. 12. Zu demſelben Reichs-Tag ſchickte der Pabſt, wie er denn allewég zu thun pfleget ſeinen Legaten, ein Cardinal, auch zum Reichs-Tag: Der trug von wegen des Pabſts, und der Römiſchen Kirchen für: man ſolt über das Ablaß-Geld und jährlich Gefäll aus Teutſchen Landen, auf ein jedes Haupt im H. Reich, etlich Jahr lang, jährlich einen Schneeberger Groſchen ſchlagen, und ſolches dem Pabſt zuſtellen.

§. XVI.

Prolixum nimis foret ſeries groſſorum ulterius deducere: aut Schreckenbergicos, qui a monte nunc D. Annæ ſacro appellati ſunt, quod ex reditibus ejus metallifodinæ fierent. Vocantur etiam angelici, quia altera facie angelum ſcutum tenentem repræſentant: De modo, ad quem a. 1548. procuſi fuerint, FRISII locum ſubjicimus. (a) *De groſſis novioribus: & Schreckenbergeris.*

(a) Ap. THOMAN. P. I. p. 69. Die Schreckenberger, darin ein Engel den Schild haltet, ſeyn geſchlagen auf dem Bergwercke Schreckenberg, das hernach St. Annaberg genannt, unten bey der Mühlen, dahero ſie Schreckenberger Mühlenſteine erſtmahls genannt worden, auf 3. alte Fürſten Groſchen, 7. auf einen Goldgülden, 52 auf die Marck, 14. Loth ins feine.

§. XVII.

Tota res pecuniaria autem groſſis olim in Saxonia continebatur, ipſique aurei, ut paſſim indicavimus certa groſſorum ſumma æſtimabantur. Tandem vero & nummi argentei *De florenis argenteis (Gülden Groſchen.)*

 tei

tei majoris moduli, qui valore aureis reſponderent, ſignari cœperunt, & floreni, (dicke Groſchen, Güldengroſchen) appellati ſunt. Erneſtus elector, & Albertus fratres ex metallifodinæ Schneebergenſis reditibus majoris moduli nummos argenteos conflarunt, quos florenos (Gülden-Groſchen) appellarunt. Primum a. 1485. ſignari cœpiſſe MOLLERUS teſtis eſt. (a) Adeoque raro reperiuntur, ut TENZELIUS, diligens rei numiſmaticæ per Saxoniam ſcrutator, nec ſibi, nec amicorum, quod noviſſet, cuiquam viſum ejusmodi nummum fateatur. (b) Alii ſuperſunt Alberti, & Friderici electoris, ac Johannis, fratris ejusdem auſpicio cuſi: quorum altera facies ſiſtit nomina FRID. ALBERT. JOH. F. altera Johannem Baptiſtam, cum perigraphe: MONE. ARG. DVCVM. SAXO. addita anni ſignificatione 1500. (c) Frequentiores ſunt, quos elector Fridericus, Johannes & Georgius cudi fecerunt, qualem ſiſtit REYHERUS, (d) qui eum, TILEMANNI FRISII auctoritatem ſecutus, antiquiſſimum ejus generis inter Saxonicos nummos credidit. FRISIUS vero VIII. ex marca cuſos, & 15. ſemuncias (*lot*) argenti puri continuiſſe tradit. (e)

(a) In Annal. Frieb. p. 125. Zum Gedächtniß der Theilung, ſind dieſe Zeit zum allererſten gantze ſtücke ſilber, unter beyder Fürſten Bildnüſſen und Nahmen gemüntzet worden, die man anfänglich 2. köpfſigte Gülden Groſchen, weil einer ſo viel als ein Rheiniſcher Gülden gegolten, hernach ingemein Thaler Groſchen oder Thaler, von Joachims-Thale benennet, da dergleichen gantze Stücke mit S. Joachims-Bilde in groſſer Menge gepräget worden, und der neue Nahme davon aufkommen.

(b) Monatl. Unterred. an. 1695. p. 1007.

(c) TENZEL. l. c. 1695. p. 85.

(d) V. REYHER. de numm. argent. antiquiſſ. c. 3. p. 31.

(e) Ap. THOMAN. P. I. c. 19. p. 69. an. 1484. iſt von dem Ertz-Hertzog

zog Sigismundo in Oesterreich, ein dicker silberner Grosche von 2. Loth Silbers, einen Rheinischen Goldgülden geltende, erstmahls geschlagen worden. Dem zufolge haben die Fürsten von Meissen auch die dicke Pfennige, mit den dreyen Angesichtern, und den langen haaren nachdem 1500. Jahr, auf dem Anneberg schlagen lassen, acht auf die Marck, zu 15. Loth ins fein: unde repetitum pro more in HOFMAN. Müntz-Schlüssel P. I. p. 282.

§. XVIII.

Qui postea thalerorum nomen sortiti sint. Quinam primi thaleri dicendi sint?

Frequentior facta hæc moneta nomen deinde mutavit, & grossi florenive loco, thalerus appellari cœpit. Nam an. 1518. ex vallis Joachimicæ argento, cum illæ fodinæ tam recens detectæ essent, (a) ejusmodi floreni procudi cœperunt: illi vero a nomine metallifodinæ thaleri, sive vallenses dicti sunt, & cum Ill. SCHLICKIANÆ gentis arma, ac S. Joachimi imaginem præferrent, modo SCHLICKIANI, modo Joachimici cognominati sunt: A pondere vero uncialium, & ab auctoritate Cæsaris & imperii, quæ postea iis accessit, imperialium appellationem traxere: Itaque si nomen thaleri spectes, a valle Joachima primum illud exortum est: si materiam, valoremque nummi, antiquiores multo unciales Joachimicis, non modo Sigismundi archiducis Austriæ, Maximiliani I. imperatoris, aliorumque, sed & in Saxonia, ut ex iis, quæ modo diximus apparet, invenias. (b)

(a) JOH. MATTHESIUS in chron. vallis S. Joachimi.

(b) Conf. TENTZELII Colloquia an. 1695. p. 1005. & seq. DEWERDECK in Silesia nummis. p. 753. & JAC. a MELLEN in præf. ad seriem uncialium. HOFMAN. Müntz-Schlüssel P. I. in tabula ad p. 282. De Maximiliani uncialibus in specie agit TENZELIUS l. c. p. 230. & 231.

§. XIX.

Florenorum argenteorum computus.

Mansit tamen florenorum argenteorum, per Germaniam species, (a) & æstimatio, sed paulo aliter temperata. In edicto Ferdinandi I. d. an. 1559. §. 3. ita valor intrinsecus definitur: **Zum ersten ein Stück, das ein Reichs-Gülden oder sechtzig Creutzer gelte, sollen auff die Cöllnisch Marck gehen zehenthalb Stück, und fein halten vierzehn Loth, sechzehn Gren, wird die feine Marck ausgebracht um zehn Gülden dreyzehendhalben Creutzer, und fünff ein hundert und dreyßig Theil eines Creutzers. Solch Stück soll durch das Reich ein Reichs-Gülden genennet werden.** In his regionibus florenus jam an. 1490. ex sententia Friderici electoris ac Johannis, & Georgii ducum, ad 21. grossos definitus fuit. (b) Quod deinde sæpius repetitum, ut adeo florenus, qui passim in Germania ad 20. grossos computatur, in Misnia 21. grossis veniat. Besses vero thaleri ($\frac{2}{3}$. Stücke) quales circa an. 1665. primum cudi cœpisse observat SCHLEGELIUS, (c) nonnisi ex usu communi floreni vocantur.

(a) Cujus exempla passim occurrunt notam 60. præferentes.

(b) v. edictum Friderici, & Johannis apud SCHLEGELIUM de num. Goth. p. 98. ubi verba: Solte niemand den Rheinischen Gold-Gülden höher, als 21. Gr. ausgeben oder nehmen, bey Straffe zehn guter Schock.

(c) In Tr. de num. Isenac. p. 139.

§. XX.

De monetæ aureæ in Germania usu

Ab argentea moneta ad auream transimus, quod serius illa in Saxonia invaluit. Quamdiu stetit imperium

Græco-

Græcorum, magnus fuit aureorum imperialium, qui Byzantini inde vocabantur, in Germania uſus. Sed tamen & reges populorum Germanicorum, Francorum præſertim & Burgundionum, jam diu monetam auream, & ſua quidem imagine ſignaverant, ut adverſus Procopii auctoritatem probavit Hadr. Valeſius. Ex aureis imperatorum Germanicorum celebres maxime ſunt auguſtales Friderici II. De quibus in Chronico RICHARDI de S. GERMANO ad an. 1231. leguntur ſequentia: *Nummi aurei, qui auguſtales vocantur, de mandato imperatoris in utraque Sicilia, Brunduſii, & Meſſanæ cuduntur.* Et infra: *Thomas de Pando novam monetam auri, quæ auguſtalis dicitur, ad S. Germanum detulit, diſtribuendam, ut quilibet nummus aureus recipiatur, & expendatur pro quarta unicæ. Annotata figura Auguſtalis erat, habens ab uno latere caput hominis cum media facie: & in alio aquilam.* Quæ deſcriptio convenit cum aureo Friderici II. qui in magnif. ſenatus Lipſienſis muſeo aſſervatur.

§. XXI.

Florenorum aureorum origo: & in Germania uſus.

Eodem ſeculo XIII. in Germania moneta aurea Florentinorum in uſu eſſe cœpit. Anno MCCLII. primum cuſos ajunt hos aureos, (a) titulo 24. Ceratiorum, (*Carrate*) & octo unciam confeciſſe. Certe adhuc veteres floreni, exacte pendent drachmam. Altera parte lilii florem, inſigne Florentinorum: altera S. Johannem Baptiſtam, patronum urbis Florentinæ, referunt. Et a flore quidem expreſſa ad illorum imitationem moneta aurea, atque argentea nomen habet: Rhenani autem cognominantur, quia in Germania electores maxime, ſtatusque ad Rhenum colentes, cupide hanc mone-

tam

tam imitati ſunt. Teſtantur id aureorum ſeries in ditiſſimo nummophylacio, quod ſereniſſimus dux Saxo-Gothanus, omnis virtutis & liberalis doctrinæ aſſertor munificentiſſimus inter alia aulæ ornamenta ſervat.

(a) Conf. SCHLEGELIUS de numm. Goth. p. 69.

§. XXII.

Itemque ducatorum.

Eſt & ducatorum, monetæ itidem aureæ frequens per Germaniam uſus; Nominis rationem male reddidit FRISIUS. (a) Sed Cangius, ex Falcone Beneventano locum protulit, qui ſub Rogerio Siciliæ rege an. 1140. primum hoc nomen, profectum ab Apuliæ ducatu, auditum oſtendit. (b) Deinde & alii imitati ſunt, & Veneti in ſpecie, apud quos Joanne Dandulo duce, qui principatum iniit an. 1280. cudi cœperunt, cum notiſſimo verſiculo: *ſit tibi Chriſte datus, quem tu regis iſte ducatus.*

(a) Müntz-Spiegel L. IV. c. 31. Die Ducaten haben den Nahmen von den Hertzogen, ſo ſie geſchlagen, wie die Realen von den Königen.

(b) FALCO BENEVENTANUS: monetam ſuam introduxit; unam vero cui ducatus nomen impoſuit &c.

§. XXIII.

De florenis aureis Saxonicis.

In hiſce Saxonicis oris antiquam monetam auream non reperimus: neque enim dari veros, & in uſum commerciorum ſignatos bracteatos aureos, facile credimus ſolertiſſimo SCHLEGELIO. (a) Aureorum autem Rhenanorum uſum ſerius in his Saxoniæ regionibus invaluiſſe, nec ante an. 1382. mentionem illorum in veteribus inſtrumentis

a ſe

a ſe obſervatam teſtatur SCHLEGLIVS (b) quod aliis relinquimus indagandum. Fridericus placidus Elector an. 1454. ab imperatore Friderico Auſtriaco (c) ius cudendi aureos impetravit: neque tamen credimus SCHLEGELIO, ab eo demum tempore Saxonicos principes monetam auream cudere cœpiſſe. Nam & antea illud electori, vel per ipſam auream bullam licebat. Et præterea Rudolpho IV. e gente Aſcania, imperator Sigiſmundus peculiari diplomate conceſſerat. (d) Neque tamen vidi antiquiores aureis Alberti ducis, qui altera facie pomum imperiale, altera S. Johannem Baptiſtam exhibent. Hos LIBENIVS, rerum Salfeldenſium ſcriptor, & cum eo SCHLEGELIVS (e) auctor eſt, Salfeldiæ primum, ex aurifodinæ Reichmansdorfenſis proventibus, cuſos eſſe: neſcio, utrum ejus rei certa indicia ex antiquis tabulis habens, an perſuaſus S. Johannis Baptiſtæ imagine, quæ inſigne civitatis Salfeldiæ eſt. Sed hanc quidem crederem potius ad imitationem aureorum Florentinorum in florenis hiſce conſervatam. Certe conſpicitur etiam in aureis Alberti, Lipſiæ cuſis, qualem in fronte diſſertationis, ex muſeo magnifici Senatus, exhibuimus.

(a) De num. Goth. §. 63 p. 102.
(b) l. c. p. 69.
(c) MVLLERI ann. ad h. a.
(d) Ill. Dn. a BVNAV l. c. p. 87.
(e) De num. Salfeld. G. 4. ubi & tab. II. varios hujus generis florenos ſiſtit: quos fol. G. 4. ulterius illuſtrat.

§. XXIV.

Quales floreni in dubio intelligantur?

Cum ergo florenorum nomen, & de ipſis aureis Rhenanis, & de moneta argentea accipiatur, dubia ſæpe eſt interpretatio veterum tabularum, in quibus de florenis agitur. In

 impe-

imperio, si in contractu alioque instrumento simpliciter mentio fiat florenorum (der Gülden) intelliguntur floreni in moneta usuali, qui 20. grossis computantur. Et hanc sententiam tenuisse cameram imperialem in caussa appellationis Philippi comitis de Hanau, contra Jacobum comitem de Zweybruck an. 1551. testatur MYNSINGERVS. (a) Idem in Saxonia electorali observatur. Itaque si mentio fiat simpliciter florenorum Rhenanorum, nec addatur, utrum ex auro fuerint, non aureus sed argenteus florenus, 21. grossis computatus intelligitur: cum olim inter aureum & 21. grossos monetæ argenteæ, quoad valorem extrinsecum differentia nulla fuerit. (b) Si vero auri disertis verbis mentio fit, quales clausulæ sunt: gut von Gold, und schwer von Gewicht: vel recht gewogener Rheinischen Gold-Gülden: tum aureis in specie summa est exsolvenda, aut pro aureo, thalerus, & 22. grossi, 6. den. numerari debent. In constitutione criminali (c) furtum magnum definitur. So der Diebstahl fünff Gülden oder drüber werth: ubi non floreni aurei Rhenani, sed Ungarici, intelliguntur, cum in criminalibus semper debeat fieri interpretatio benignior: Quam etiam sequitur Jus Electorale Saxonicum P. IV. Const. 32. quæ an. 1719. specialius determinata est. (d)

(a) Cent. IV. Observat. 15.

(b) Churfürstl. Landes-Ordnung P. II. Const. El. 29. uti inter alia: Dieweil aber vor Alters der Goldgülden, auff einen Gülden Müntz geschlagen, so ist man hierinnen einig, daß solche Wörter Rheinische Gülden, da sie bloß allein und ohne das Wort Gold gesetzet, für einen gülden Müntz, wie derselbige damahls würdig gewesen, zu verstehen, ꝛc. also auch die Wörter, gute Gülden sollen nicht auff Gold, sondern auff Müntz gezogen werden.

(c) Art.

(c) Art. 157. ubi vid. Commentarius MATTH. STEPHANI, BERNHARDI Zieritz, aliorumque.

(d) Mandat wegen geschwinder Exequirung der Räuber, de d. 27. Jul. 1719. Wir wollen auch nicht weniger die gemeinen und Hauß-Diebe, wenn sie so viel, als das in unserer 32. Constitution gesetzte Quantum beträget, welches wir hiermit, uns gleichfalls allen Scrupel mit Ausrechnung des Werthes derer besten Ungarischen Gülden zu vermeiden, auff 12. Thaler 12. Groschen current determiniren, &c.

§. XXV.

Ultimo loco de caractere monetæ agendum est. In Saxonia olim jam sollicite observatum, ut caracter peculiaris inesset, ex quo dominus monetalis agnosceretur. (a) Itaque cum liberum esset tesseris distinguere monetas, principes Saxoniæ etiam insignia sua iis inseruerunt. Unde & in bracteatis antiquissimis insignia, e. g. Henrici Leonis, & Henrici illustris Marchionis Misniæ & Orientalis, observarunt viri docti. (b) Imo & Landsbergensem, & Veissenfelsæ, & Ileburgensem tesseram in bracteatis Marchionum Misnicis agnoscas. Fridericus sapiens, in florenis argenteis, quos signari curavit, cum locumtenens imperii esset, altera facie aquilam imperialem exhibuit. Invenimus an. 1551. cusos thaleros a filiis Joh. Friderici Electoris captivi, qui altera facie imaginem titulumque Caroli V. imperatoris, altera insignia Saxonica cum hac inscriptione sistunt: MONE. FILIOR. IOAN. FRID. SENIO. DV. SAX. Hortlederus, cum inveniret Albertum marchionem inter causas susceptæ an. 1552. adversus Carolum V. pro libertate Germanica expeditionis, referre etiam, quod electores & principes prohiberentur imagine sua monetas insignire, (c) putavit eum præcipue ad Saxonicos hosce unciales respexisse. (d) Ipse Jo. *De caractere.*

Fride-

Fridericus, jam liber, an. 1552. thaleros cudi curavit, qui altera vultum ejus, titulumque, altera imperialem aquilam, cum Caroli V. titulo præferunt. Deinde quidem in edicto Ferdinandi I. imperiali de an. 1559. §. 10. Wie aber 2c. decretum est, ut moneta, incluso cruciato, altera parte aquilam imperii bicipitem, titulumque imperatoris; altera status, cujus auctoritate cusa est, tesseram atque inscriptionem referat. (e) Quod autem in Saxonia non adeo stricte observatum constat.

(a) Sächs. Land-Recht L. II. Art. 27: Niemand mag auch Pfennige schlagen, anderer Herren Pfennigen gleich, sie haben denn ihre sonderliche Unterscheid.

(b) De antiquo usu insignium in moneta statuum secularium. conf. SCHLEGELIVS de num. Isenac. p. 69. 70.

(c) Vid. declarationem ap. HORTLEDERVM von Ursachen des Teutschen Krieges, P. II. L. V. C. 5. ubi n. 12. queritur: Also wird der Chur- und Fürsten ihre Bildniß auff die Müntz zu schlagen verbotten.

(d) Vid. ibid. n. 6. Abbildung zweyer Thaler, 2c.

(e) LVNIG P. General. p. 335: Und soll nehmlich in den obgemeldten Sorten, von grössern biß auff den eintzigen Creutzer, dieselbigen mit einzuschliessen, auff der einen Seiten unserer und des Reichs Käyserl. Adler, mit zweyen Köpffen, und des Reichs-Apffel in des Adlers Brust, und in demselbigen allwegen die Zieffer, wie viel Creutzer dasselbig Stück gelte, gesetzet werden, darnach sich ein jeder habe zu richten, und der gemein einfältig Mann dadurch nicht betrogen werde, mit der Umschrifft: FERDINAND. IMP. AUG. P. F. DECRETO. Auf der andern Seiten des Müntz-Herrn oder Standes Wappen, mit samt seiner gewöhnlichen Umschrifft, und der Jahrzahl, wo die zum füglichsten zu stellen.

F I N I S.